



1678.

1. Bardili, Busckhardus: De legato conditionali.
- 2a^{te} Bardili, Busckhardus: Curator ad litem. 2 Exempl.
3. Harpprecht, Ferdinand Christophorus: Remedium legis ultime. Cod. de fideicommissis.
4. Kurier, Johann Adamus: De dolo causam dante.

1679.


1. Bardili, Busckhardus: Indiponendi de feudis per ultimum voluntatem.
2. Bardili, Busckhardus: De scheda testamentaria.
3. Frommann, Joh. Andreas: De conuentione in scriptis.
4. Frommann, Joh. Andreas: De dominio acquisito.

1680

1. Frommann, Johann Andreas: De ficta, seu quasi.
Traditione.
 - 2a^{te} Frommann, Johann Andreas: De condonatio.
- 2 Exempl


1681.

1. Bardili, Amelhardus: *Viscus testis, nullus
festis!*
2. Frommann, Joh. Anders: *De jure variandi*
3. Schroeder, Gabriel: *De foro illustrium imperio
Romano - Germanico immediate subjectorum*



1139

- 1. Bened. Amshardus: *Museum historicum antiquarum*
festis
- 2. Frommann, Joh. Bapt. : *De jure universitatis*
- 3. Schweder, Gabriel : *De jure illiusdem superioris*
universitatis in universitate subjectorum



1083



8762



Q. D. B. V.

837~~8~~
12

CURATOR AD LITEM,

Vulgò

Kriegs Vogt

1678, 26

3

PERMISSU

*Amplissima, in Academia Tubingensi, Facul-
tatis Juridicae,*

PRÆSIDE

DN. BURCKHARDO BARDILI,
Jcto. & Pand. Prof. Consil. Würt.
& Supremi Dycasterij Assessore.

DELINEATUS

Et in

AUDITORIO JURISCONSULTORUM

Ad Diem Octobris,

Publico Examini Exhibitus

*Jura
Widmung*

JOHANNE HILLERO, STUTTGARDIANO.


TUBINGÆ,

Typis JOACHIMI HEINLI,

ANNO M. DC. LXXVIII.

7.







DISQUISITIONIS
DE
CURATORE AD LITEM.

CAPUT I.

Exhibens

DEFINITIONEM ET DI-
VISIONEM.

THESIS I.



Materiam præsentem explanaturi, definitionem rei tractandæ præmittimus, ut eò facilius, quorsum cætera omnia colliment, inde constare possit. Eam autem disponimus, in Nominalem & Realem: Hæc, Realis, ut potior & præstantior, licet priori loco tractanda. Nominalis tamen, ut prior, præmittenda, juxta monitum Ulpian. *in l. 1. ff. de R. C.* Et in jure maximè observanda, *l. 1. pr. ff. de Inst. & Iure.* Cum cognito usu nominis, in perceptionem rei ipsius facilius provehamur.

A

mur.

mur. Hinc Curator noster ad Litem, quoque à suis principiis revocandus, quod ut eò facilius eveniat, illud in sensu composito & diviso, explicandum.

II.

In hoc primò occurrit vocabulum Curator, quem à Cura dictum, neminem potest latere, quod nempe reb is curandis, custodiendis ac tuendis, præficiatur, arg. §. *si quis à non domino, &c.* 35. *Instit. de R. D.* Quemadmodum autem vocabulum Curæ, in Jure nostro, varias habet significationes, quas recensere ad longum nihil attinet: Ita acceptio Curatoris, non est uniusmodi in Jure nostro, uti integro capite ostendit, Paul. Montan. *de jure tutel. & Curat. cap. 27.* Quamquam verò certum sit, Curatorem, quatenus Tutori opponitur, non personis, sed bonis dari. *l. 12. l. 14. ff. de testam. tut. l. 8. C. de Nupt.* negari tamen illud non potest, personis nonnunquam Curatores rectè constitui. *pr. I. de Curator.* Unde, vel bonis immediatè constituuntur, inde etiam Curatores bonorum dicti. vid. *totum. titul. ff. de Curat. bonis dand* vel constituuntur personis ipsis, ad bona tamen administranda, puta furiosis, mente captis, prodigis, vid. *l. 48. ff. de administr. & peric. tut.* vel constituuntur personis, absque bonorum administratione, ad hoc, ut consilio, ubi ubi opus est, ipsis assistant. De quibus nos acturi sumus. Communiter enim tradunt Dd. quod Curatori ad Litem administratio bonorum competat nulla. Mæv. *ad Ius Lubecens. part. 1. Tit. 7. art. 11. num. 4.* Munnoz. *de ration. cap. 28. num. 14.*

III.

Dictio Ad, quid sit, & quem sensum importet, vid.

vid. Dn. Strauch. *Lexic. Partic. Juris, voce Ad.* In Codice tamen legitur in litem. *t. t. C. de in litem dand. tut.*

IV.

Pergimus ad vocabulum **Litis**, saltē sensum ejus multiplicem & diversum ostensuri; Et quidem illud (1.) contentionem vel controversiam ac dissensionem inter aliquos exortam denotare, in vulgus notum est; neque interest, sive id fiat extra judicium, sive in judicio: (2.) Strictius, contentionem dicit judicialem. Et vel ipsam judicialem disceptationem significat, vel actionem. *l. 36. ff. de V. S.* vel ipsam rem in judicium deductam. *l. 47. ff. de R. V.* vel denique (3.) in latiori vel generaliore significato complectitur non solum dissensionem sive disceptationem inter aliquos exortam, tam judicialem quā extrajudicialem, sed & omnes actiones, omniaque negotia comprehendit, unde alicui damnum imminere, adeoque lis & controversia facile oriri potest. Secunda significatio hujus loci est. A potiori enim fieri denominationem certum est, & Curator in litem hoc nomine potissimum dari debet propter actus judiciales & contentiosos, in quibus ipsius persona necessariō requiritur. Quid ergo in sensu composito significet Curator ad litem, cuius liquebit, & in definitione mox subjicienda, ulterius patebit.

V.

Hoc, in limine saltē monendum fuit, Curatorem ad litem nonnunquam constitui absenti, de cujus vita vel morte nihil certi habemus. vid. Garf. Mastrill. *part. 3. d. 226. num. 9. & seqq. & disp. de Curatore bonorum absentis anno 1667. hic habita:* Sed nobis hic sermo erit, de Curatore personis, quæ legitimam standi in ju-

4
 dicio personam non habent, constituendo. Hic autem Curator diversis etiam designatur Nominibus: Procurator in litem, Anton. Fab. *lib. 5. Tit. 20. d. 4. num. 6.* usque adeò, ut inter hunc, & nostrum Curatorem, parum aut nihil interesse existimet Carpzov. *Ipr. For. part. 1. constit. 17. defin. 18. num. 6.* Anton. Faber. *lib. 5. tit. 27. d. 2. num. 3.* Sed vid. Mæv. *ad Ius Lubecens. part. 1. Tit. 7. Artic. 11. num. 1.* Besold. *vol. 4. consil. 149.* Dicitur etiam Tutor in litem, *tot. tit. C. de in litem jur.* Quamvis inter hunc & tutorem differentia sit non una. item, simpliciter Curator. *l. 2. qui legit. person.* Germanicè vocatur ein Kriegs- Vogt / oder Kriegischer Vormund / ab actu vid. principali quia litigantibus adhsitit. *Fürstl. Würtemb. Landr. part. 1. Tit. 16. §. Anders / r. part. 1. Tit. 18. §. Wir wollen / r. Vogt / r. part. 2. Tit. 29. §. Ferner / r. Vormunder / part. 1. Tit. 18. §. Und ob schon / r. Vogt zum Rechten. d. §.* unde hac occasione notandum, nos Germanos speciale, quod Curatorem hunc denotet, nomen non habere. Vocabulum enim Germanicum Vogt / oder Vormunder / promiscuè de Curatoribus usurpatur. *Franzk. in Comment. Tit. quibus modis tut. fin. pr. num. 55. Ordin. Imper. Pol. de anno 1548. & 1577.* Vocatur etiam ein Einrahler und Beystand. Consultor & *ἑταῖρος.* Besold. *Thesaur. Practic. voc. Kriegischer Vormund / r.*

VI.

Nominalem definitionem, excipit ipsa rei definitio, quam sic tradi posse putamus, quòd sit persona, publicâ auctoritate, ad hoc constituta, ut in iudicio, his, qui legitimam standi per-

di personam non habent, consilio & auctoritate assistat.

VII.

Dividitur ratione **Objecti** (1.) in **Universalem** & **Specialem** *Mæv. ad Ius Lubesens. part. 1. Tit. 7. art. II. num. 1. 2.* Ille est, qui ad omnes, & quascunque, tam præsentibus, quam futuras lites, datur. Hic verò, qui ad unam tantum speciem litem certam seu causam datus est. (2.) **A Subjecto**, quod constituatur vel agentibus vel Reis. (3.) Iterum à Subjecto, quod hunc accipiant vel foeminae, vel alia personæ, quæ legitimam personam standi in iudicio non habent. 4. Juxta quorundam locorum Statuta à **Causa Efficiente** in legitimum & dativum. vid. *S. W. Landr. p. 1. tit. 18. §. Wir wollen/te.*

C A P U T 11.

DE ORIGINE EIUS, ET QUOMODO CONSTITUATUR.

VIII.

CAUSA EFFICIENS est vel **Remota** vel **Proxima**. Remota est Lex, quæ personas quibus stare in iudicio fas non est, Curatorum consilio regi vult, non solum naturalis, *arg. §. pen. 1. de Attil. Tut.* sed etiam positiva. Unde de hoc Curatore specialis in Cod. extat titulus, 44. *nempe lib. 55.* & in aliis quorundam textibus quam plurimis, *Instit. ff. & Cod. ubi Dd. ferè commun. hujus fit mentio. vid. §. 2. Instit. de curatoribus. l. 7. §. 2. ff. de minoribus. l. 2. C. qui legit. person.*

son. stand l. f. §. 1. C. de administr. tut. Nec uti alias, ita etiam hac in parte dedignantur Canones LL. sequi; unde in jure quoque Canonico hic noster Curator fundamentum habet. vid. *cap. fin. de Judic. in 6.* Consentit omnium ferè Judiciorum praxis, Cameralis præprimis, de quo Gail. *lib. 2. observ. 107. & 108.* Mynsing. *cent. 2. observ. 31.* quibus addi possunt multarum provinciarum statuta & observationes. De jure Saxónico vid. Carpzov. *Ipr. For. part. 2. cap. 15. defn. 26. & mult. seqq.* Brandenburgico, Schepliz. *ad consuet. March. part. 3. Tit. 2. §. 23. num. 9.* Württembergico. *Landrecht. part. 1. tit. 18. §. Wir wollen. fol. 101. & § und obschon re. part. 1. tit. 18. §. Andere re.* Add. Mæv. *in decision. part. 1. decis. 226. p. 2. d. 133. p. 2. d. 167. p. 4. d. 58. &c.*

IX.

Causa impulsiva, quæ Legislatorem ad dandum in litem Curatorem impulit, est fragile & infirmum, multisque captionibus obnoxium consilium eorum, quibus dandus est. *arg. l. 1. ff. de minorib.* Naturæ enim consonum est, ut unum quodque, quod ad se gubernandum suapte vi non sufficit, præstantioris alicujus ductu regatur & gubernetur. Arist. *1. Polit.* Cic. *1. Off.*

X.

Sequitur ut ad causam efficientem proximam deveniamus, Ea autem est vel Magistratus vel lex. Non ergò privatorum arbitrio constituitur, quemadmodum Curator simpliciter bonis datus, quem creditores nonnunquam privata conventionem eligere posse constat. *ex l. 15. pr. l. 8. §. fin. ff. de rebus autoritate judi-*

judicis: l. 8. l. 9. ff. quibus ex causis in poss. l. 14. ff. de reb. author. jud. Sed publica autoritate. Unde alicui curam litis à muliere ipsa, (vulgò *Erbettene Beystand*) delatam non sufficit, nec qui mandatum à tutoribus loco curatorii offert, curatoris ad litem officio rectè fungitur, sed ejus constitutio autoritatem Judicis vel Magistratus requirit. *Mæv. part. 2. decis. 133.* Scilicet mulier cum curatore, procuratorem quidem constituit, *Anton. Faber. lib. 5. Cod. Tit. 27. def. 3. num. 2.* sed curatorem non æquè. *Mæv. d. l.* Judicis vel Magistratus competentia requiritur. Est enim Curatoris in litem constitutio, actus Jurisdictionis contentiosæ. *Mæv. d. l. def. 133. num. 1. Gail. 2. O. 108.* Quæcunque autem fiunt à Magistratu incompetente, sunt ipso jure nulla. *Carpzov. Iprud. Forens. part. 2. constitut. 15. def. 27. in fin. ibi: Von einer andern Obrigkeit/ unter welche diese Sache nicht gehörig/ bestesiget/ und also nulliter verfahren worden. B. R. W. Mart. Dig. Nov. Tom. 5. v. curator. c. 22.*

XI.

Quis verò Judex seu Magistratus dicatur competens, nunc excutiendum? Distinguendum nobis videtur, an Curator generaliter ad omnes lites, præsentis & futuras constituatur, an verò ad unam certam causam. Si generaliter, ad omnes lites, tunc constituitur ab eo Judice, qui etiam Tutorem vel Curatorem dare potest, nimirum cujus jurisdictioni personæ Curatore indigentes, immediatè sunt subjectæ, ratione domicilii vel naturalis, vel accidentalis. *Mæv. part. 4. decis. 58. Myns. constitut. 1. O. 87. Brunnem. ad l. fin. §. 1. Cod. de admin. tut. Moller. ad Constitut. Elect. part. 2. constit. 15. num. 8. Mart. Dig. Nov. Tom. 5. Tit.*

5. *Tit. Curator. cap. 22. Berlich. part. 2. conclus. 18. num. 3.* Carpzov. *in Process. Tit. 5. Art. 3. num. 44.* Schröder. *de feud. part. 10. sect. 19. num. 165.* Neque sufficit tum datio vel confirmatio iudicis, coram quo causa agitur. *Mæv. part. 4. decis. 58.* Concernit namque hic actus quodammodo personam, quare & in eo foro, ubi domicilium est, debet expediri. Add. Ben. Carpz. *Iprud. Forens. part. 2. constit. 15. def. 26.* ubi tale præjudicium affert: *Es wird euch aber ein Curator von der Obrigkeit / unter welcher ihr gesessen / billich verordnet ic.* Quæ sententia etiam in foro Wirtembergico procedit, & vera est, non obstante. *S. Andere Weibspersonen. part. 1. Tit. 16.*

XII.

Quando ad unam causam, sive litem constituendus est Curator, tunc ab eo iudice & Magistratu dari debet, ad quem causæ illius vel negotii, quod in iudicium deducitur, cognitio pertinet. Ita accipienda *l. fin. §. 1. C. de administ. tut.* Scilicet, ejusmodi Curator personis quidem datur, sed propter rem sive causam certam, sicque principaliter causæ & rei, ut propterea etiam actus dationis Curatoris, ab eo iudice expediri debeat, ad quem causæ illius cognitio spectat. Ben. Carpz. *Iprud. Forens. part. 2. constit. 15. def. 27.* ubi præjudicium: *Diemeil aber demnach bemeldter kriegischer Vormund aufferhalb des Marktbachischen Gerichts von einer andern Obrigkeit unter welche diese Sache nicht gehörig und also nulliter verfahren worden.* *Mæv. part. 4. decis. 58. numer. 1.* *Mynsing. centur. 1. O. 87.* *Brunnem. adl. 11. Cod. qui dar. tut.* Idem de jure provinciali Wirtembergico dicendum, per text. in *S. Wir*

Wir wollen. *part. 1. tit. 18. §. Wir wollen. ibi: So sie für Recht kommen wird ic. §. und obschon. d. l.*

XIII.

Neque interest, causa quæ in iudicio ventilatur & tractatur, an sit Ecclesiastica, an verò secularis. Unde Judex Ecclesiasticus dat Curatorem ad litem minori laico coram se litiganti. *c. fin. de Iudic. in 6. Mynsing. centur. 1. O. 87.* Et è contra Judex Laicus minori Clerico, coram se litiganti. *Marant. part. 4. Spec. Iud. distinct. 11. num. 13. & 39. Mynsing. d. l. Mart. Dig. Noviss. Tom. 8. Tit. Curator. c. 22.* Nec illud refert, causa sit allodialis, an verò feudalis. Unde, illis in casibus, quibus Dominus feudi habet cognitionem super feudo, Curatorem Vasallo, coram domino litiganti, constituit dominus feudi. *Schrader. de feud. part. 10. sect. 19. n. 161.* Cum enim feudalia bona de quibus lis est, domini feudi jurisdictioni subjecta sint, proinde à domino feudi tutor est constituendus. *Schrader. d. n. 165.* Quibus consequens est, si lis non coram domino feudi, sed alio iudice, nempe Paribus Curia vertitur, aut ordinarius Judex habet de illa causa iudicandi facultatem, quod non dominus feudi, sed, vel Pares Curia, vel Judex ordinarius, coram quo ea lis vertitur, vasallo litiganti Curatorem in litem dare, & constituere debeant, etiam respectu feudi. *Schrader. d. l. n. 165.*

XIV.

Quid verò dicendum, si personæ quibus dandus est Curator, ante tutorem vel Curatorem habeant ab ordinario Magistratum, qui minori vel simili, coram alio iudice litiganti assistere nolit, an videlicet, & tunc ab eo iudice coram quo lis agitur, sit Curator ad litem constituendus? Ita sanè videtur dicendum; se-

B

cun-

cundum ea quæ tradit Carpzov. *in Process. Tit. 5. Art. 3. num. 46.* ubi errare dicit Advocatos non parum, si foeminis vel minoribus in certo aliquo Judicio litigantibus, Curatores ad litem alibi constitui ac confirmari faciant. Nec, in hac quæstione multum interest: quod nempe habeant tutorem vel Curatorem ordinarium. Quamvis enim nullâ ulterius datione Curatoris ad litem opus videatur, cum Curator semel rectè ac legitimè constitutus, etiam judicialia negotia rectè administret, ita, ut non solum pro pupillo & similibus personis agere, *l. 3. pr. l. 22. l. 24. §. 1. ff. de administr. tut.* sed etiam defendere eas possit. *l. 1. §. 2. ff. ibid.* Et satis sit, si ad personam suam legitimandam exhibeat Tutorium quò factò nec de rato cautione opus est. *l. 13. C. de administr. tut.* & ibi Bachov. Brunn. Caspar. Mantz. *ad Tit. de administr. tut. num. 94.* aliud tamen dicendum, quando ordinarius Tutor, vel curator causam agere, vel non vult, vel non potest.

XV.

Accidit non rarò, ut persona quæ Curatore ad litem indiget, in diversis judiciis, diversas causas tractare necesse habeat, quæritur, an in uno judicio Curator constitutus, coram alio quoque judice causam tractare, & litiganti assistere possit? Quod rectè negatur; sed plures tum debent Curatores constitui, à diversis iudicibus & singuli ab eo iudice, coram quo causa ventilatur, adeo, ut curatorem habenti ad aliam nihilominus causam alius Curator dari possit. Curatorem namque habenti, quò minus alius Curator detur, nihil obstat. *arg. l. 20. §. 1. ff. de tut. & Curat. dat. Moller. ad constit. Sax. part. 2. cap. 15. num. 12. Carpzov. Ipr. Forens. part. 2. constit. 18. defm. 29. Berlich. part. 2. conclus.*

claus. 18. num. 8. Nisi postremus Curator generaliter ad omnes lites fuerit datus, quo casu prima cura expirat, & primus Curator ad certam litem constitutus, per dationem posterioris Curatoris abrogatur. *Carpzov. d. defm. 29. in fin. ibi:* Da sie aber demnach folgendes/durch den Churfürsten zu Sachsen/ıc. Ihr einen anderen General Curatorn ad omnes lites bestätigen lassen: So wäre ewer Curatel dardurch geendet/ und sie auch derselben zu erlassen schuldig.

XVI.

Quid verò dicendum, si foemina habeat Curatorem ad litem, à Magistratu domicilii constitutum, an videlicet hic Curator Judici coram quo lis agitur curatorium exhibens, suam personam satis superque censetur legitimasse? Negat *Carpzov. in Process. Titul. 5. art. 3. num. 46.* ubi non aliam sententiam expectandam dicit, quam interlocutoriam, super legitimatione Curatoris in iudicio causæ ventilandæ constituendi; *Das angegebener Curator seine Person/ anderer gestalt zulegitimiren schuldig.* Quicquid sit de Jure Saxonico, in hoc Württembergico Ducatu, aliter dicendum; idque propter verba: *Andere Weibs Personen/ıc. Tit. 16. part. 1. ibi:* Die zuvor nicht bevögтет: ubi illis demum foeminis Curator à Judice causæ constituendus, qui non habent curatorem: Ergo si habeant curatorem ad certam quoque causam constitutum, nulla ulteriori constitutione opus est; Nec in proposito casu regula, quod curatorem habenti, nihilominus curator alius, rectè constituitur; hic locum sibi vindicat.

XVII.

Deinde, quædam personæ, quibus in iudicio stare fas non est, lege accipiunt Curatorem. Unde in

hoc nostro Ducatu Württembergico, Maritus est uxoris suæ legitimus Curator, *ih̄r rechter Kriegs Vogt / S. Würt. Landrecht. part. 1. Tit. 18. §. Wir wollen / r.* Idem de Jure Saxonico dicendum, ubi maritus dicitur: *Ein ehelicher Vormunder. Constit. Elect. 15. part. 2. §. Gleicher gestalt; Et Cura Maritalis die Eheliche Vormundschafft. Carpzov. Process. Tit. 5. artic. 6. num. 34. & seqq.* Sic tamen, ut in judicio aliter comparere non possit, quam præstita prius de rato cautione; sive de jure Saxonico sit sermo, sive de jure Württembergico. Sanè juxta Juris Civilis dispositionem Maritus pro uxore sua admittitur sine speciali mandato, modò ratione bonorum receptitiorum de rato caveat. *l. 21. C. de procurat.* Ratione inquam bonorum receptitiorum. Nam ratione paraphernalium, aut dotalium, cautio desideratur nulla; per ea quæ latè tradit Brunnem. *ad d. l. 21. Mynsing. centur. 1. observ. 53.* Quicquid sit, in hoc Ducatu cautio indistinctè est necessaria, etiam ratione dotalium. *arg. §. Item ein Ehemann. part. 1. Tit. 16. Add. Carpzov. Process. Tit. 5. artic. 6. num. 33. Dn. Lauterb. Diff. Jur. Prov. disput. 1. thes. 34.*

XVIII.

Procedit hæc sententia, quantumvis instrumenta Maritus bonorum paraphernalium nomine penes se habeat, Quamvis enim sint, qui eo in casu maritum, à cautione de rato immunem dicant; idque propter *l. fin. C. de pact. convent.* Gail. 1. *Observ. 133.* At tamen hæc sententia jure Württembergico non procedit. *Besold. ad I. P. W. disput. 1. thes. 38. Wibel. de contract. mulier. cap. 3. §. num. 80. Dn. Lauterb. d. l. in fin.* Nec aliter se res habet, quantumvis speciale uxor marito ad agendum dederit mandatum, quippe & hic cautione

tionem de rato omnino opus est; Scilicet legitimam standi in iudicio uxor personam non habet, non ergo sine alio curatore litem marito demandare poterit. Carpz. *Jur. Process. Tit. 5. art. 6. num. 37.* Facit L. P. W. §. Undere Weibspersonen/ *rc. part. 1. Tit. 16. ibi: Welche bees de denn/ rc. Die Weibs Person und ihr Kriegs Vogt hernach sambtlich miteinander einen andern zum Answaldt/ rc.*

XIX.

Curatorem, testamento de J. C. non constitui, juris est aperti, §. 1. *Instit. de curat. l. 7. C. de testam. tuzel.* sed de facto datus, confirmandus venit à Magistratu. *l. 6. ff. de confirmand. tut.* Quod moribus nostris non procedere, observarunt Georg. Schulz. *in Synops. Instit. pag. 53.* Simon. Groeneweg. *tr. de ll. abrogat. ad d. §. 1.* idque propter Recessum Imp. d. Anno 1548. 1577. *Tit. von Pupillen und Minderjährigen/* qui indistinctè loquitur. Unde, si testator uxori suæ testamento constituat Curatorem ad Litem, quæritur, quid de eo statuendum? Non equidem dubitandum, dationem valere, sic tamen ut ad legitimandam suam personam Curator testamento datus, confirmatione indigeat Magistratus, nec ante in iudicio pro foemina agere, vel excipere possit.

XX.

Cùm verò Judex officium non faciat nisi imploratus. *l. 4. §. 8. ff. de damn. in f.* proinde à Magistratu petendus est Curator ad Litem. Et si quidem minori constituendus: Curatorem vel ipse minor nominat. *l. fin. §. 1. C. de administr. tut.* Gail. 1. *obs. 108. n. 1.* Mart. *Digest. Noviss. Tom. 5. Tit. Curator. cap. 20.* Unde minorem admonendum, ut petat Curatorem ad litem,

tradit Christin. *vol. 2. decis. Belgic. 148. num. 3.* vel nominant eundem minoris cognati *d. l. fin.* Quod si admonitus non pareat, ad instantiam & petitionem actoris minori mandari potest per decretum, ut intra certum tempus compareat, nominaturus curatorem ad litem: Gail. *d. observ. 108. num. 3. lib. 2.* Anton. Fab. *lib. 5. Tit. 27. def. 1.* Si iterum non pareat, poena contumaciae non hæc est, ut pro majore habeatur, quem minorem esse constat; Ne plus operetur fictio in casu ficto, quam veritas in casu vero: sed ut ex iudicis officio Curator absenti & invito detur. *l. 3. §. si pupillus. ff. de tutorib. & curat.* Anton. Fab. *in Cod. diet. l. 1.* Gail. *2. observ. 108. num. 3.* Ne videlicet ex mora & contumacia minoris, iudicium magno actoris incommodo diu in suspenso maneat.

XXI.

Potest etiam pars adversa, quæ cum minore litigat, in limine statim iudicem adire, eumque rogare, ut minori de Curatore ad litem prospiciat; ne videlicet iudicium cum minore gestum pro invalido habeatur. *d. l. fin. §. 1. ibi: & Actoris. C. d. administr. tut.* Unde in Camera decernitur Citatio ad videndum pupillo vel minori dari Curatorem ad litem. Gail. *1. observ. 108. num. 5. in fin.* Quod si adversa pars illegitimationis personarum Exceptionem omiserit, ne iudicium reddatur elusorium, potest nihilominus Iudex ex officio Curatorem ad Litem constituere. Mart. *Digest. Noviss. Tom. 5. Tit. Curator. c. 23.* Christin. *vol. 2. decis. Belgic. 148. I. P. W. part. 1. Tit. 18. §. und obschon. ibi: Und obschon der Gegentheil solche Undichtigkeit nicht fürwendete/ sollen nichts desto weniger unsere Ambteus und Gerichte (so bald das für sie gelanget) die Verfügung thun/damie solche*

solche und dergleichen Personen mit *Curatorn ad litem*,
Vormundern oder Vorstehern/ versehen werden. Vant.
de Nullit. ex defect. Mandat. num. 22.

XXII.

Quæ de minore sunt dicta, procedunt etiam in foemina, quæ Curatore destituta, vel præsens in iudicio nominat Curatorem petitque à iudice, velit hunc sibi ritè ac legitimè constituere; vel absens in scriptis, libello supplici iudici debitè oblato Curatoris constitutionem similiter petit, vel Curatorem petunt foeminae cognati. *arg. l. fin. §. 1. C. de administr. tut.* vel pars adversa, quæ, cum foemina litigat. Si & hoc facere partes neglexerint, Iudex seu Magistratus, uti minoribus, sic etiam foeminais ex officio curatorem constituit, ne scil. ex defectu Curatoris iudicium reddatur elusorium. *Sürstl. Würt. Landrecht. part. 1. Tit. 18. §. Wir wollen auch 2c. junct. §. Und ob schon. Constitutio Provincialis Saxonica. 15. part. 2.*

CAPUT III.

*Exhibet*PERSONAS, QUÆ POSSUNT
ESSE AD LITEM CURATORES.

XXIII.

Curatores ad Litem possunt esse omnes, qui possunt etiam esse Procuratores; Est quippe inter utrumque differentia non adeò magna. *Ant. Fab. ad Tit. C. qui dar. tut. n. 5. 6. Carp. Ip. For. p. 1. c. 17. d. 18. n. 6. part. 5.* quibus ergo in casibus excusatur Procurator, illis etiam
in

in casibus meretur excusationem ad Litem Curator. Anton. Fab. *lib. 5. Cod. Tit. 20. d. 4.* Pupillis vel minoribus, quando constituendus venit Curator, hoc animadvertendum, ut ex consanguineis eligatur unus, quibus nolentibus tale munus suscipere, tunc de alio iudex providet Curatore. Afflict. *decis. 262.* Mastrill. *decis. 73. num. 7.* Stephan. Gratian. *discept. forens. tom. 4. c. 68. num. 18.* In Camera Imperij plerunque nominantur & deputantur Inclyti hujus Judicij Procuratores, Gail. *lib. 2. observ. 108. num. 4.* Mart. *Digest. Noviss. tom. 5. Tit. Curator. cap. 23.* Add. Anton. Fab. *in Cod. lib. 5. Tit. 20. defm. 4.* Foeminis quando Curator ad Litem est constituendus, illis nempe in casibus, quibus maritus legitimus alioquin, juxta multorum locorum statuta Curator, uxoris suæ Curator esse vel non vult, vel non potest. vid. Fürstl. Würt. Landrecht. *part. 1. Tit. 18. §. Wir wollen auch/it.* nihil interest, quis eligatur; Possunt enim & hanc Curam suscipere omnes, cujuscunque dignitatis aut status, modo nec natura impediatur, nec lege prohibeantur. Moller. *in comm. ad constitut. Saxon. part. 2. constit. 15. num. 13. 14.*

XXIV.

Nec, de Jure Civili repelluntur infamia laborantes, quoniam nec prohibentur esse Procuratores, quin potius *in §. fin. Inst. de Except.* admittuntur. Sed sanctio Juris Civilis, nec de Jure Canonico. vid. *Can. 1. & 2. caus. 3. quest. 7.* Zanger. *de Except. lib. 2. cap. 8. n. 98.* Rittershus. *d. diff. Jur. Civ. & Canon. lib. 5. cap. 12.* nec in Camera, recepta O. C. *part. 1. Tit. 18.* nec alibi observatur: non enim Procuratoris officium hodie pro vili reputatur; sed publicum est, solentque (in Superioribus præsertim judiciis) illi constitui, qui liberalia studia

studia exercent, quæ precio numerario non est æstima-
 manda. l. 1. §. 4. ff. de extraord. cognit. Mæv. part. 3.
 decis. 143.

XXV.

De minoribus 25. annis secundum principia juris
 Romani idem, quod de infamibus, dicendum venit. Nec
 enim major 17. annis procurator in judicio esse prohi-
 betur. §. 5. Instit. quibus ex caus man. Besold. in delibat.
 Tit. de Procurat. quest. 10. sed oppositâ demum exce-
 ptione ab adversario, ob periculum læsionis, minores
 25. annis repelluntur. arg. l. 14. Cod. de procurat. nec
 obstat, quod hic possit in integrum restitui, cum
 hoc non indistinctè procedat in aliena administratione,
 sed tum demum, quando is in propria persona læsus
 est, uti patet, ex l. 23. & ibi subjecta materia ff. de mi-
 norib. Nec quicquam movet 2. quod non habeat
 potestatem minor, legitime standi in judicio, ad Cura-
 torem autem requiratur, ut habeat legitimam personam
 standi in judicio, id enim tantum procedit in causa pro-
 pria, non in causa aliena. Nec licet argumentari, quia
 non habet potestatem standi in Judicio in causa pro-
 pria, E. nec in aliena; id quod exemplo minoris Cura-
 torem habentis declarari potest. Ille enim, Curato-
 rem habens, non potest propria negotia extrajudiciali-
 ter administrare. l. 3. C. de restit. in integr. cum tamen
 possit aliena l. 7. §. 2. ff. de instit. ait: Quicquid ejus rei
 sit, Jus Canonicum hæc in parte mutat Jus Civile. c.
 5. de procurat. in 6. cujus tenorem etiam hac in parte
 sequitur Jus Prov. Würt part. 1. Tit. 16. Rubr. welche
 nicht Anwalt seyn mögen. vers. demnach die Minderjähri-
 ge. ubi expresse ab officio Procuratoris arcentur, E. nec
 Curatores ad litem esse possunt, ex supra tradita regu-
 la, id-

C

la, id-

la, idque non sine ratione, de qua vid. Dn. Lauterbach. in diff. J. P. W. *ibid.*

XXVI.

Negativè, ex Regula supra tradita, impediuntur natura, qui illa propter quæ Cura hæc est introducta, præstare nequeunt, ut sunt (1.) Furiosi, qui cum voluntatem non habeant. *l. 40. de R. I. racione destituantur, §. 1. I. quibus non permiffum testament. fac. idè nec possunt esse Curatores ad litem. Idem de mente captis dicendum, cum & hi parum à furiosis differant. l. 2. C. de curat. furios. l. 9. C. de impuberum & aliis substitutionibus. De mutis & surdis idem judicium est. quippe in judiciis interrogatio ac disceptatio plerumque intervenire solet, quæ hac ratione ab illis expediri nequeunt. l. 43. pr. ff. de procurat. Removentur autem hi non tam ex Juris dispositione, quam potius naturali impedimento.*

XXVII.

Lege prohibentur & quidem Jure Civili servi, qui quoad ea quæ civilia sunt, & sic quoad Judicia, pro nullis habentur, *l. 13. ff. si quis caut. l. 107. l. 21. d. R. I. vid. tn. l. 63. §. 3. l. 67. ff. de Judic. Et quamvis hodie cum his affinitatem habeant homines proprii; quia tamen revera sunt liberi homines, & ad omnia negotia civilia admittuntur, à quibus Statuto vel consuetudine specialiter remoti non inveniuntur: proinde solus illorum status non impedit, quo minus proprii homines Curatores ad litem constitui queant, nisi hoc ipsum in uno vel altero loco specialiter statuto vel consuetudine inveniatur prohibitum. De foeminis certum est, quod Curatores ad litem esse non possint, sive de Jure Civili sit sermo, arg. l. 18. C. de Procuratori-*

bus

bus. l. 2. ff. de R. I. Sive de Jure Canonico, moribus omnium ferè locorum receptò, vid *Fürstl. Würtemb. Landrecht part. 1. Tit. 16. Rubr. wer nicht Anwalt seyn mag. vers. Erstlich die Weibs Persohnen. Gail. I. O. 133. num. 8.* Scilicet hæ sibi ipsis consilio non sufficiunt, & contra propria commoda laborare dicuntur in *l. 4. C. de sponsalibus.* multò ergo minus aliis consilio præfesse, atque ea, quæ Curatores ad litem tenentur, peragere poterunt.

XXVIII.

Quid verò dicendum de prodigis? Scilicet hos juxta communem, & in Praxi receptam sententiam non esse admittendos, idque propter generalitatem. *l. fin §. 2. C. de sententiam. passis. junct. l. 5. C. de legit. tut.* Unde generaliter eos à Cura movendos, scribit *Carpz. in Respons. lib. 5. Tit. 8. Resp. 80. num. 25. 26. Gutierrez. de Tutel. & Cur. part. 1. cap. 7. num. 17.* Idem dicendum de reis, nimirum antequam innocentiam suam purgaverint. *arg. l. 6. C. de Procurat. Fürstl. Würtemb. Landrecht. part. 1. Tit. 16. Rubr. Wer nicht Anwalde seyn möge/te. vers. wie auch die jenige/te.* Nec non Banniti seu proscripti ab Imper. vel Camera Imperij. *O. C. part. 2. Tit. 9. §. Die jenige/te.* & *arg. eorum quæ tradunt Jul. Herm. Stamm. de servit. Personal. cap. . . num. . . Add. Fürstl. Würtemb. Landrecht. part. 1. Tit. 16. §. Item die so in deß te. Reichs Acht/te. Gail. d. P. P. lib. 2. cap. 16. lib. 2. Observ. 86. num. 9.* Item Milites, quia procuratores esse nequeunt. *l. 31. C. de locat.* proinde nec Curatores ad litem esse possunt, quod de militibus cœlestis militiæ statuendum etiam propter *Novell. 123. cap. 8. Auth. Presbyteros. C. de Episcop. & Cler. idem de Decurionibus dicendum. l. 30. C. locat.* quod ipsum tamen

neque quoad Magistratus nostros, nec quoad milites
coelestis militiae observatur, moribus nostris, sic tamen,
ut ad Curam suscipiendam inviti non sint compel-
lendi.

XXIX.

Maritus de Jure Civili Curator uxoris esse prohi-
betur. *l. 2. C. qui dare tut. §. 19. I. de Excuss. tut. l. 14.
l. 17. eod.* Idque non sine ratione, ne si negligenter for-
tè maritus in rebus uxoris fuerit versatus, propter affe-
ctionem uxor agere cesset. Quicquid sit, moribus no-
stris maritus multis in locis est legitimus Curator uxo-
ris, quamprimum nuptiae sunt contractae, ac ideò Cu-
rator conjugalis dicitur, *ihv rechter Kriegs Vogt. Fürstl.
Württemberg. Landrecht part. 1. Tit. 18. §. Wir wollen auch/
26.* ita, ut eo inscio, uxor nec agere nec se defendere
possit, *Landr. dl. Add. Sächsisch Landr. lib. 1. art. 31.
Statut. Hamburg. part. 1. Tit. 8. Art. 5. Max. part. 1. de-
eis. 219.*

Quae dicta de Marito, legitimo uxoris Curatore,
procedunt, nisi aliud justum impedimentum sub
sit, quod eundem à cura excludat, & incapacem
reddat. Huc referri possunt omnia illa impedimenta,
quorum supra fecimus mentionem, unde non erit
legitimus uxoris Curator Maritus, Servus, deportatus,
bannitus, cæcus, mutus & surdus, quique perpetuò
laborat morbo, nec non prodigus. Quò pertinet et-
iam ætate minor, qui cum ipse commode sua curare
non possit in judicio, absurdum esset, eum alterius
damno curæ præfici. *arg. l. fin. C. de legit. tut.* Quanquam
verò hoc ipsum morib' nostris non adeò videatur absur-
dum, esse tutorem, & tamen sub Curatela alterius;
vidua enim hodie habet curatorem Litis, & tamen est
legiti-

legitima Tutrix liberorum, quod etiam observavit Brunnem. *ad fin. C. de legitem. tutor.* cum tamen alia subsit diverſitatis ratio inter utrumque casum, dicendum minorem non admitti. Hinc legitima liberorum tutela, quamvis de IC. deferatur matri & avix N. 118. c. 5. non tamen defertur minori. l. 2. C. *quand. mul. tut. offic.*

XXX.

Bannitum procuratorem, & per consequens Curatorem ad Litem esse non posse, supradictum fuit. Nec dubitamus asserere idem, de eo, qui ab inferioribus Statibus Imperii relegatur, scilicet relegatum à Magistratu Curatorem Litis dari non posse. Nimirum Curatoris præsentiam exigunt jura, in ipso actu, uti infra dicendum, quomodo autem Consilio & auctoritate adjuvabit indigentem absens? Illud verò magis controversum est, an Maritus relegatus legitimam, adeoque maritalem amittat curam uxoris, sic, ut statim ei alius sit ad Litem Curator constituendus? Quamvis aliàs ex Provincia relegati, non amittant ea quæ sunt juris Civilis *arg. l. 7. §. 4. ff. de interd. & relegat.* non dubitamus tamen, amittere ea quæ sunt Juris Statutarii; ex quo jure cum veniat legitima Cura Maritalis, §. W. Landr. *pecul. 2. Tit. 18. & Undere Weibos Persohnen/* proinde alium Uxori constituendum Curatorem censemus.

XXXI.

Hactenus, qui Curatores ad Litem esse possunt dictum fuit, sequitur illud, an invito hæc Cura recte deferatur? Distinguendum, an commode alii hæc Cura deferri possit, an vero non. Si posterius, & necessitas urgeat, ut hic, non alius, detur, invito etiam hanc

Curam suscipere coguntur; & ita Gail. *lib. 1. O. 108.* Gars. Mastrill. *decis. 174.* Anton. Fab. *lib. 5. Tit. 27. def. 2.* Christin. *vol. 2. decis. Belgic. 158. num. 3.* Unde, postquam hanc Curam, uti supradictum, in multis Judiciis Judex defert Procuratoribus, non poterunt hi sese excusare. Anton. Fab. *d. l.* Quando nulla necessitas urget, ut huic, & non alii, Cura deferatur, justamque adeò, habeat quis excusationem, quò minùs ei Cura hæc deferatur, audiendum eum, tradunt Dd. supra laudati, Add. Moller. *lib. 4. semestr. cap. 23.*

C A P U T I V.

Agit,

DE PERSONIS QUIBUS CURATOR AD LITEM CONSTITUENDUS.

XXXII.

CURATOR ad Litem constituitur iis, qui legitimam standi in iudicio personam non habent; de quibus vid. *tot. tit. C. de his qui stare in iud.* ubi Wes. Brunnem. & Dd. comm. Add. Vultej. *lib. 1. de Indic. cap. 5. Fürstl. Württemberg. Landr. part. 1. Tit. 18.* ubi Besold. Plebst. Inter personas ergo, quibus Curator ad litem est constituendus, principalem locum obtinent foeminae, *arg. pr. Inst. de Curat.* quarum appellatione non tantum veniunt virgines, à viro nempe illibatae, intactae & incorruptae, quæ nondum conjuges sunt: sed & mulieres quæ in conjugio vivunt & suavi Maritorum consortio gaudent, sociæ divi- & humanæ domus *l. 4. C. de Crimine expilata heredit.*

Item

Item Viduæ quæ maritum morte, vel alia ratione amiserunt, & quæ viduatæ & quasi divisæ sunt à marito, hisce omnibus Curatores in litem adjungendos, nemo dubitat. De foeminis quidem virginibus vid. Jus nostrum Provinciale Würtemb. *part. 2. Tit. 29. §. Ferner wollen wir auch* ibi: und da sie im ledigen. Wibel. *de contract. mulier. cap. 2.* Jus Saxonicum *part. 2. const. 15. def. 1. num. 3.* ibique Carpzov. Berlich. *part. 2. concl. 17. num. 14.* Martin. Benekendorff. in Repet. *l. 2. ff. de R. I. p. 40. & seqq.* De viduis nec minus dubitare licet, propter ea quæ habet Newenhan. *tr. de Cur. viduit.* Adde Jus Provinciale Würtemb. *part. 2. Tit. 29. §. wir wollen auch* &c. Deinde foeminarum appellatione comprehendimus etiam illas, quæ nec sunt virgines, nec uxores, nec viduæ, sed per fornicariam aut aliam conjunctionem florem virginitatis amiserunt, scilicet etiam his contra stupratorem ad dotem vel alimenta infanti subministranda agentibus, vel excipientibus, curatorem ad litem constitui, usus fere omnium Judiciorum ostendit. quanquam ex jure civili hæc sententia probari non possit; Nam quod nonnulli ad eam probandam, adducunt *l. 15. pr. ff. d. curat. furios.* ubi luxuriosæ foeminæ curator dari potest, respondent rectè alii, loqui eam, de prodiga, non pudoris, sed pecuniarum, post plures Brunnem. *add. l. 15. Joh. à Sand. ad l. 40. d. R. L.*

XXXIII.

Nec facienda distinctio, inrer foeminam præsentem, & Curatorem petentem, aut etiam renuentem, & reluctantem. Sicut enim minores inviti Curatorem hodie indistinctè: & de Jure Civili in litem rectè recipiunt. *§. 2. Instit. de Curat.* Ita etiam foeminis in-

vitis

vitis Curator ad litem constituitur; quemadmodum de fori observantia attestantur. *Mæv. ad Ius Lubec. lib. 1. Tit. 7. artic. II. num. 8. pag. 485. Græv. Pract. Conclus. lib. 2. conclus. 108. Berlich. part. 2. conclus. 18. num. 12. Carpzov. Ipr. forens. part. 2. constitut. 15. defin. 28.* Cui consequens est, quod & his absentibus & ignorantibus Curator à Magistratu rectè detur. Qui enim potest invitis aliquid facere, ille multò magis potest eis absentibus & ignorantibus, *per l. 26. ff. de R. I. Moller. lib. 4. Semestr. cap. 23. Berlich. part. 2. conclus. 18. num. 13. Carpzov. part. 2. cap. 15. decis. 28.* ubi in fine tale adjicit præjudicium: *Seyd ihr Martin Schneider Wittwen zum Curatorn verordnet worden / ob nun wohl bemeldte Wittib / als dasselbe geschehen / vor dem Gerichte nicht gegenwärtig gewesen / sondern in Schrifften darumb angesuchet / so ist doch solche Curatel / weil ihr euch willig darzu bestätigen lassen / zurecht beständig.*

XXXIV.

Idem dicendum de foemina forensi sive extranea, quæ videlicet in alio territorio, & sub alio Judice, quam coram quo lis agitur, habet domicilium. Huic enim, præsuppositò statutò, quò mulier legitimam personam standi in Judicio non habet, Curator à Judice rectè constituitur, quamvis in provincia, in qua degit, Curatoris constitutio ad actus Judiciales non sit necessaria. Dum enim mulier extranea in judicio litem suscipit, eo ipso sese statutis loci conformasse, & subjecisse censetur, saltem quoad actum Judiciale expedendum, proinde etiam Curatorem ad litem secundum statuta loci ejus, ubi lis agitur, accipere tenetur. *Berlich. part. 2. conclus. 17. num. 54. Carpzov. part. 2. constit. 15. defin. 8. & in Respons. lib. 3. Tit. 1. Resp. 15. ubi præjudicium. Das*

vix

vor allen Dingen nach Gewohnheit dieser Sächsischen Gerichte/ Klägerin einen *Curator ad litem* zuverordnen/ *u.* Quod multò magis obtinet in ea foemina, quæ cum alterius Provinciæ sit & originis, nubit alicui, qui in territorio degit, ubi mulier standi in Judicio legitimam personam non habet. Nempe istiusmodi foemina per matrimonium sequitur forum & domicilium mariti. *l. 65. ff. de Iudic. l. 13. C. de dignitat.* Ac proinde etiam statutis illius loci alligabitur, quod sine Curatore, in Judicio foeminam non admittit. Tiraqu. *de LL. Connub. gloss. 8. num. 229.*

XXXV.

Mulier mercatrix, juxta multorum locorum statuta & consuetudines, liberè, & sine consensu Curatoris negotiationem exercet. vid. *Constit. Saxon. part. 2. Constit. 15.* Ex quo est, quod mulier, quæ communem cum marito habet negotiationem, quamvis cum marito in uno eodemque instrumento sese obligaverit, intercessisse tamen non præsumatur. *Mæv. ad Ius Lubec. Tit. 20. artic. 2. num. 74. Gail. lib. 2. observ. 90. num. 5. Brunnem. ad l. fin. ff. ad SC. Vellej. in fin.* unde nec mercatrix mulier, S^Cti Vellejani beneficio gaudet. *Mæv. part. 8. decis. 453.* in causis tamen judicialibus, huic non minus, ac aliis, Curatorem constituendum, cottidiana nos edocet experientia.

XXXVI.

Foeminas Nobiles, Jurisdictionalia habentes, ex intercessionibus non aliter, ac viros obligari, testantur *Dd. passim. Hering. de fidejussor. cap. 7. num. 517. Colleg. Jur. Argent. Tit. ff. ad SC. Vell. th. 5. num. 22.* Unde & has, à necessitate accipiendi Curatores, immunes esse quamplurimi testantur;

D quod

quod in causis extrajudicialibus, v. c. contractibus & similibus negotiis, dubio videtur carere omni, per ea quæ tradunt Carpzov. *Ipr. forens. part. 2. constit. 15. defin. 9.* & in *decision. part. 2. decis. 141.* Add. Berlich. *part. 2. conclus. 17. num. 79* Brunnem. *cent. 5. decis. 27.* An verò, in causis forensibus, & Judicialibus, idem sit dicendum, non satis est expeditum? In hac quæstione ad cuiusque loci statuta & consuetudines respiciendum, quibus deficientibus, dicendum, id, quod foeminis Nobilibus, in actibus extrajudicialibus sine Curatore tractandis, consuetudine & observantia indultum, ad causas forenses, & negotia in iudicio tractanda, trahendum non esse, cum nusquam à Regula communi, quæ foeminas sine Curatore in iudiciis haud admittit, exceptæ legantur. Carpz. *part. 2. decis. 142. n. 10.* Add. Mart. *lib. 5. cap. 18. §. W. Hoff. Ord. part. 3. Tit. 30. Rubr. In Verzeihung etc. §. 5.* De foeminis Illustribus regalia, & Consiliarios habentibus, vid. Carpz. *d. l. F. d. 9. posit. 4.*

XXXVII.

Ulterius notandum, foeminis in iudicio vel agentibus, vel excipientibus, Curatores ad litem esse constituendos, usque adeò, ut, si vel maximè tutelam vel curam liberorum gerant, his tamen Curator ad litem dari debeat, v. c. Matri & Avix legitima defertur tutela liberorum. *Novell. 115. cap. 5. Nov. 94. cap. 1. & 2.* Quod si tamen in iudicio causam pupillorum agere velint, curator eis constituendus, quò Mater & Avia adjunctæ, prudenter liberorum negotia gerant, quemadmodum de hac observantia attestantur Carpzov. *tr. de jure foemin. pag. 36. lib. 5. Resp. 80.* Petr. Heig. *part. 2. quest. 13. num. 45.* Schulz. *in addit. ad Modestin. Pistor. part. 1. qu. 27. in fin.* Berlich. *part. 2. conclus. 17. num. 61.* Wib. *de contr.*

contr. Mul. p. 86. Zang. de Except. p. 2. c. 8. n. 97. Sed foeminae maritalitatis non aliter, quam si maritus Curator vel non velit esse, vel non possit.

XXVIII.

Deinceps, standi in iudicio personam legitimam sine tutore & curatore non habent, pupilli, Minores, prodigi, perpetuò morbo laborantes, & similes, de quibus distinctè agendum; & de infantibus quidem initium faciendum. Septimum ergo ætatis annum qui nondum sunt egressi, legitimam standi in iudicio personam planè non habent, adeò, quidem, ut nec tutore auctore iudiciis interesse possint. *arg. l. 18. C. de jur. delib. Wesemb. ad Tit. C. qui legit. person. stand. in jud. n. 10. Perez. in C. dt. num. 1. Struv. ad π. Tit. de Iudic. num. 7.* Sed infantis nomine tutor non solùm agit in iudicio. *arg. d. l. 18. debita exigit. l. 2. Cod. arbitr. tutel. rem furtivam condicit. l. 56. §. 4. ff. de furt.* Sed & infantis conventi nomine iudicium suscipit, *l. 1. §. 2. ff. de administr. tut.* In qua defensione si cessaverit, ad omne damnum refarciendum tenetur. *l. 28. pr. C. d. t.* Nec ergo citatio in personam infantis rectè fit. *Brunn. ad l. 1. §. 2. ff. administr. tut. Matth. de Afflict. decis. 262.* nec in eum fertur sententia, *l. 2. pr. ff. d. t.* Sed omnia usque ad executionem cum tutore peragenda, ipsa verò executio demum fit, in infantis bona. *arg. l. 8. ff. l. 1. C. quando ex fact.* Alia est ratio ejus, qui infantiam est egressus, qui iudicio quidem interesse potest, sed cum tutore. *l. 1. §. 2. ff. de adm. tut. l. 1. l. 2. C. qui legit. person.*

XXIX.

Ex quibus jam manifestum est, quod pupillis, sive infantibus, seu infantiam egressis, Curator ad litem constitui regulariter non possit. Vel enim tutorem jam ha-

D 2

bent

bent, vel non habent. Si non habent, prius est, ut ipsis tutor constituatur, qui pupillum defendat: *Nunquam enim* (verba sunt Anton. Fabri *lib. 5. Cod. Tit. 27. def. 3. num. 1.*) *curator in litem aut ad actum aliquem specialem dandus est, cum in omnem rem administrator aliquis, sive tutor ille sit, sive curator dari potest. l. 15. ff. de tutor. & curat, &c.* nimirum, ut sive pupillo sive minori quam plenissimè fieri potest, prospiciatur. Etiam, si adversarius, qui litem cum defuncto impuberis patre inchoatam, adversus pupillum persequi & exercere velit, id petat. Anton. Fab. *dict. l.* sed omnimodo tutor dandus est, tametsi incausa jam conclusum sit, lisque ad coronidem perducta. *dict. l. num. 5.* Scilicet, cum Curator ad Litem tum constituendus, de rebus pupilli non sit instructus, neque instrumentorum pupillorum copiam habeat, præstat sanè, tutorem constituere, quando nempe causa ita est comparata, ut, si ipse sine eo agere non possit, alias secus. *Mæv. part. 2. d. 167.* Si habet tutorem potest, uti supra dictum, hic, non solum omnia agere in iudicio, quæ negotii ratio, & pupilli utilitas, exposcit: sed & ad id tenetur, nisi tutela iudicio conveniri velit. *d. l. 28. C. de administr. tut.* ubi Dd.

XL.

Unde, jam evidenter sequitur, pupillo non aliter ad litem Curatorem dari posse, quàm si vel non habeat Tutorem, & de eo constituendo lis sit, vel inter proximiores cognatos, vel tutorem testamentarium, non ritè fortè constitutum: vel antequam tutela constitui potuit. *Mæv. 2. d. 167. num. 3.* aut habent quidem tutorem, sed is Procuratorem constituere, ob absentiam aut aliam rationem non possit. vid. *§. ult. Instit. de Curat.*

rat. vel justâ ratione impediatur, quo minus pupilli causam in judicio agat, vel ejus actiones suscipiat; vel quando inter tutorem & pupillum emergit controversia, ita ut Tutoris interesse versetur, l. 1. C. de in lit. dand. tut. ubi Brunnem. Mart. Digest. Noviss. Tom. 5. Tit. Curator. c. 20. Barbos. d. l. 1. n. ult. Carpzov. lib. 5. Resp. 86. n. 18. Add. omn. Christin. vol. 2. decis. Belgic. 158. Idad l. 3. l. 4. C. de in lit. dand. tut. Mæv. part. 2. decis. 169. numer. 3. ubi de cottidiana Praxi testatur. Nisi pupillus habeat alios tutores, à quibus defendi possit. l. 1. C. d. t. ubi Brunnem. Perez. num. 2. Add. l. 2. C. d. t. Hisce verò omnibus in casibus, quin detur Curator ad Litem, & invitis quidem, dubitandum est nequam. post Greven. lib. 2. cons. 108. Mæv. ad Ius Lubecens. lib. 1. Tit. 7. artic. II. num. 8. Carpzov. in Process. Tit. 5. art. 3. num. 26. Brunnem. ad Tit. C. de in lit. dand. Tutor. num. 3. Potest etiam Tutor, quando pupillus vel infans est, vel absens, Actorem constituere; idque decreto Prætoris. §. ult. Instit. de curat. l. 24. ff. de administr. tut. l. 11. C. de procurat. l. unic. C. de act. à tut. vel curat. dand. Mæv. part. 5. decis. 296. num. 2. vel post L. C. procuratorem. l. 11. C. de procurat. (quamvis hoc ipsum hodie non requiratur, secundum commun. Dd. sententiam, de qua vid. Carpz. lib. 3. Resp. 14. Brunnem. ad d. l. 24. Carpzov. in Process. Tit. 5. artic. 5. n. 33. Berlich. part. 1. concl. 16. num. 10. Unde secundum Jus Provinciale Württemb. ante litem contestatam Procurator: & Actor ab ipso Tutore, sine Magistratus decreto constituitur. Fürstl. Württemb. Landrecht. part. 1. Tit. 16. §. Und wo Minderjährige/ u. p. 94. Add. Groeneweg. de LL. abrog. ad l. 11. Cod. de procurat.) Si verò tutor impediatur, quo minus actorem, vel ante L. C.

D 3

procu-

procuratorem constituat, Tutorem quoque habenti, ad Litem curatorem ex officio constituendum, dubitandum est vel minimè. vid. *supr. thes. . .* Add. Brunnem. *ad l. 1. C. de in lit. dand. tut. in fin.*

XLI.

Item legitimam personam standi in iudicio minor 25. annis non habet: Sed siue litem minor intendat, siue excipiat, curatoris in litem auxilio indiget, *d. §. 2. l. 2. C. qui legit. pers. stand. in jud.* Quamvis enim minoribus de jure Civili adempta non sit bonorum administratio, sed hi contrahere & se obligare valeant. *l. 3. C. de integr. restit.* tamen quia hæc ætas multis est captionibus obnoxia, & quoque ad negotia forensia & judicialia fragile est & infirmum illorum consilium, propterea his potestas negotia sua tractandi in iudicio est adempta. *l. 1. & 2. C. de his qui legit. pers.* Unde ad judicialia inviti accipere curatorem tenentur *d. §. 2. Inst. de curat. l. 3. §. 2. ff. de tutel.* Razzal. *decis. 84.* Boer. *decis. 92.* Mart. *Dig. Noviss. Tom. 5. Tit. Curator cap. 20.* Ne sc. ut loquitur Imp. *in l. 4. C. de autoritate præstanda.* ex juvenili calore, vel imprudentia, aliquid proponant vel omittant, quod ipsis maxime sit damnosum. Licet enim læsis in itegrum restitutio non sit deneganda contra sententiam Judicis. *l. 4. & tit. C. si adversus sentent.* Satius tamen est & utilius, intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium quærere. *l. ult. C. in quib. caus. restit. in integr.* Procedit hæc assertio, etiam si habeat ad acta constitutum Procuratorem generalem, at nihilominus curatorem invitus accipere teneatur, pertradita Garf. Mastrill. *part. 1. d. 54.*

XL.

Superior assertio, quod minores in iudicio legitimam

timam personam standi sine Curatore ad litem non habeant, multis in casibus fallit, & moribus nostris primo non procedit in causis criminalibus. Quamvis enim Jus Civile, etiam in his causis non faciat discrimen, nec minoris confessionem aliter pro valida agnoscat, quam si cum curatore sit facta. *l. 4. C. d. aut praestand. ubi ratio.* Juxta Universalem tamen in tota fere Germania receptam consuetudinem, minori criminali judicio pulsato, curatorem nunquam adjungi videmus, quemadmodum de communi usu & observantia attestantur in terminis Carpzov. *in Pr. Crim. part. 3. qu. 118. n. 32.* Oldekop. *in observ. crim. Tit. 2. observ. 34.* Guatz. *in tr. d. defens. Reor. defens. 32. cap. 32. n. 2.* Quamquam verò contra consuetudinem istam disputet Oldekop. *dict. l. num. 2.* nec eam introduci posse, putet: Attamen ejus argumenta tanti momenti non sunt, ut in ejus sententiam concedere necessum habeamus. Deinde, non procedit superior assertio in causis matrimonialibus, cum enim minor sit capax matrimonii, proinde ei actionem hoc nomine exercere non est interdictum. *ex c. ex pacto 14. extr. de restitut. spoliat. c. fin. de Iud. in 6.* colligunt Dd. passim. Wesemb. *ad Tit. C. de his qui legit. pers. stand. in Iud. num. 12.* Vult de Iudic. Anton. Perez. *in C. d. tit. Joh. à Sande. lib. 1. Tit. 3. def. Frisic. 2.* Barboz. *ad l. 1. C. qui dand. tut. n. 7.* Idem dicunt si juraverit minor etiam sine Curatore, se non contraventurum Processui, & sententiæ, *arg. Auth, Sacramenta puberum, Cod. si adversus venditionem. Brunnem. ad l. 2. C. qui legit. person. Confer. Boer. decis. 92. Treutacinq. lib. 2. Tit. d. jud. Respons. 6. num. 5.*

XLIII.

Nec non limitatur superior assertio in eo minore,

re,

re, qui veniam ætatis impetravit. *arg. tit. C. de his qui veniam ætatis impetr.* Brunnem. *ad l. 2. C. de his qui legit. pers.* Wesemb. *ad tit. C. de his qui legit. pers. stand. num. 12.* Diff. Marta. Dig. Noviss. lib. 5. Tit. curator. cap. 26. Christin. vol. 2. decis. Belg. 153. num. 2. ubi hanc sententiam communiter receptam dicit. Deinceps, ab hâc regula excipiunt causas momentaneæ possessionis, quæ sc. non in possessorio ordinario sed summario ventilantur. Cùm enim hîc multa, contra juris communis regulas, ob summum, quod est in mora periculum, ne, si ad arma veniant partes, solique adeò, præpostero planè ordine, jus dicant. (vid. Dn. Grav. *in disp. de Possessor. Summar. th. Barb. ad l. 3. C. qui legit. person.* Ben. Carpz. *in Processu Tit. 1. Art. 1.*) sint recepta, proinde in hac causa, regulis juris non ubique inhærendum censent, ac consequenter etiam minorem sine Curatore ad hanc processum admittendum tradunt in terminis, *ex l. 3. C. de his qui legitimam personam stand. in Iud.* Perez. *ibid. in fin.* Brunnem. *ibid.* Alias plures limitationes tradunt Dd. passim *ad d. Tit.*

XLIV.

Quid de filiofamilias dicendum? De jure veteri non habuisse legitimam personam standi in Judicio, nonnulli colligunt *ex l. 57. ff. de Iud.* Brunn. Menoch. *remed. recup. poss. n. 396.* sanè distinctione hîc opus videtur, vel enim actione personali, vel reali, convenitur. Si prius, ipse habet legitimam personam standi in Judicio, nec Curatore ad litem indiget, sive de peculio paganico, vel militari sit sermo. *arg. l. 39. de O. & A. l. 57. ff. de Iud.* ubi Brunn. vid. tamen eund. *ad l. 39. ff. de O. & A. n. 2.* Quando contra eum instituitur actio Realis, tunc ratione peculii qui-

lii quidem castrensis & quasi, constat, eum pro patrefamilias, & consequenter Curatore ad litem opus non habere. *arg. l. 4. ff. de Iudic. l. 4. §. 1. ff. de castr. pecul.* Idem tamen dicendum secundum veriore sententiam, de peculio adventitio irregulari; quamvis enim nonnulli hinc Patris consensum requirant; Attamen contraria sententia verior est, *argum. eorum, quæ tradunt Joh. de Castell. de usufr. cap. 3. num. 14. 15. Brunnem. ad l. 8. in pr. C. de bon. quæ lib.* De Jure Canonico, quod ob solennitatem iudicii, non patitur filiumfamilias in iudicio audire, (uti loquitur Petr. Barbof, *ad l. 2. §. fin. ff. solut. matr. num. 20. laudatus à Brunneinan. ad l. 8. in pr. C. de bonis quæ lib. num. 4. in fin.*) patris consensum omnino necessarium, pròinde filio majori, Curatorem ad litem nonnunquam constitui posse, non dubitant multi.

XLV.

De filiisfamilias ætate minoribus, minus dubitandum; sive de bonis castrensibus & quasi, sermo sit, sive de bonis adventitiis. Unde filio minori, in bonis castrensibus, illis in casibus, quibus Curatoris auxilio indiget, Pater hujus vices sustinet. *arg. l. ult. pr. C. de curat. furios. l. fin. §. 1. C. de bon. quæ lib. Carpzov. lib. 5. Resp. 84. num. 7.* eaque administrat, non ut Curator, sed alius legitimus administrator, quin itaque Curator & hoc dari possit casu, vix ambigendum. Brunnem. *ad l. ult. in pr. C. d. t.* Similiter, bonorum adventitorum irregularium pater, quando filius est imperfectæ ætatis, nec ille, qui plenam filio reliquit proprietatem, etiam de Curatore prospexit, si vult, habet administrationem. *arg. l. 7. in pr. C. de curat. furios. l. f. §. 1. C. de bon. quæ lib. Anton. Fab. in C. d. t. def. 6. Carpz. Iur. For. p. 2. const. 10. def. 11.*

E

XLVI.

XLVI.

Quamvis itaque omnibus hisce in casibus, filio, Patrem habenti, sive tutorem & Curatorem, sive administratorem rectius, alius Curator, ne quidem ad litem sit dandus: procedunt tamen hæc omnia, quando pater est præsens, & filium defendit, resque ejus administrat. Quod si verò per absentiam, aut alia impedimenta id facere non possit, vel, etiamsi possit, nolit, puta, quod ejus commodum versetur; rectè devenitur ad hanc curam, ne interim hi indefensi damnum patiantur. *arg. l. 6. §. ult. ff. de tutel. ubi Brunnemann. Mæv. part. 4. decis. 94. Paul. Montan. de tutel. cap. 3. num. 60. Qui tamen curator, absente patre datus, post reditum ejusdem, à cura liberatur, arg. d. l. 6. §. ult. ff. de tutel. usque adeò, ut si pater deinde iterum, vel in militiam ire, vel peregrè proficisci velit, non tamen possit compelli, ut ad priorem curam redeat, sed denuò alius sit curator petendus & constituendus. arg. l. 98. §. 8. ff. de solut. Mæv. part. 4. decis. 96. Alios denique casus recenset Bocer. class. 6. disp. 4. th. 37.*

XLVII.

Ad exemplum minorum, legitimam standi in iudicio personam non habent Prodigii, quibus nimirum potestas administrandi bona est interdicta; Hi enim, postquam quoad bonorum administrationem, furiosis comparantur. *l. 1. ff. de curat. furios. l. 40. de R. I. licet majores sint 25. annis, tamen in curatione sunt legitima agnatorum. §. 3. Instit. de curat. ac proinde iudiciis sine curatore interesse non possunt. Fürstl. Würtemb. Landrecht. part. 1. Tit. 18. §. Item die Minderjährige/ıc. Bocer. class. 6. disp. 4. thes. 43. sed eorum nomine Curator iudicium suscipit. Si tamen vel inter Agnatos*
de

de cura lis sit, vel ordinarius curator præpediatur, quo minus iudicio interesse possit, vel alia subsit iusta & sufficiens causa, ut Curatorem potius habeat ad litem, quam alium, idem de eo dicendum, quod de minore Iuprà dictum fuit.

XLVIII.

De furioso idem affirmandum. Fürstl. Würtemb. Landrecht. d. l. vers. Und Sinnlose/ cujus appellatione quoad effectus Juris, etiam venit mente capitus, l. 2. C. de curat. furios l. 9. C. de inntil stipulat. Nec facienda est distinctio, an dilucida intervalla habeat an non; quamvis curator eo tempore maneat nomine & officio: licet non effectu. arg. l. 6. C. de curat furios Nec, an major sit 25. annis, an verò non, (quamvis huic non ut furioso, sed minori dandus sit curator. l. 3. §. 1. ff. de tut. Brunnem. ad l. 1. C. de curat. furios.) De melancholicis idem affirmare nihil prohibet, nec minus de his, qui perpetuo morbo laborantes, rebus suis superesse non possunt; mutis item, & surdis. Fürstl. Würt. Landrecht. part. 1. Tit. 18. §. Item &c.

XLIX.

Sunt & aliæ personæ, quæ in iudicio stare non possunt, de quibus vid. Fürstl. Würt. Landr. part. 1. tit. 18. in pr. v. c. bannitus & proscriptus ab Imp. vel Camera Imp. agendi licentiam non habet. Bocer. class. 6. disp. 4. thes. 16. neque per se, nec per Procuratorem d. §. ibi: Weder selbstén/ noch durch seinen Anwald in seiner Klag gehört werde. huic verò convento, Curator constituendus venit, non qua tali, sed qua absenti. Alia est ratio eorum, qui ab Inferioribus Statibus Imperij relegantur: Hi enim nec agere in iudicio prohibentur. arg. l. 7. §. 4. ff. de interdict. & relegat.

multò minus excipere, sic tamen, ut & his, ceu absentibus nonnunquam Curator ad litem, sit constituendus. De Servis, Excommunicatis, & aliis. vid. Wesembec. *ad Tit. C. qui legit stand. in jud.*

L.

Prædictis personis quando Curator ad litem non est constitutus, hæ tamen in judicio stetissent, causam peregissent, & pro his Judex pronunciaffet, quæritur an valeat sententia? Dicendum videbatur non valere, eò quod prædictæ personæ legitimam personam standi in judicio non habeant. Sed contrarium verius est. Nam quod his Curator est constituendus, favorem illorum respicit, vid. *l. 4. Cod. de auct. præstand.* & consequenter in illorum odium detorqueri non debet. *per l. 6. C. de LL. c. quod ob gratiam. 61. de R. I. in 6.* quando enim in alicujus personæ favorem requiritur solennitas, tunc ommissio solennitatis vitiat actum, si is personæ nocivus, non si commodus & utilis. *arg. l. 14. C. de Procurat.* ubi Brunnem. Mynsing. *cent. 2. observ. 36.* & alii laudati à Barbof. *d. l. 14.* Sed hæc non aliter, quam si cum consensu Curatoris ratificatio fiat. Unde nec Curator solus potest ratificare in Judicio gesta. Moller. *lib. 1. semestr. cap. 18.* nec foeminæ solius ratificatio absque Curatore, valet. Quod enim ab initio sine solennitate fieri non potuit, ratificari quoque sine solennitate non potest.

C A P U T V.

*Exhibens*C U R A T O R I S A D L I T E M
O B J E C T U M.

LI. Con-

LI.

CONsideratis personis, veniamus ad objectum, quod constituunt Lites & negotia Judicialia, quæ tangunt hos, quibus in iudicio standi fas non est. Unde ratione objecti requiruntur (i.) Lites, seu negotia judicialia; Ab his quippe Curator nomen accepit. Unde licet aliàs vel minores vel foeminae (moribus præsertim nostris inspectis) nihil quicquam quod bonorum administrationem contingit, sine Curatore validè gerere possint. vid. Dn. Wibel. *tract. de curat. Mulier.* ac proinde, hæ quoque personæ Curatorum consilio regantur: Attamen Curator ad extrajudicialia negotia datus, ad nostræ considerationis objectum pertinet nequaquam. vid. Brunnem. *ad l. 86. ff. de solut. num. 5.* Unde simul patet, quod nec Curatori ad litem quæ tali, rectè solvi queat. *l. 86. ff. de solut.* Munnoz. *de Escob. de Ratiocin. admin. cap. 28. num. 14.* Brunnem. *ad l. 3. C. de in lit. dand. tut.* Nimirum, certum huic est commissum negotium, lites nempe, vel plures. vel unam, in iudicio tractare, & consilio curandis adistere. Aliud est autem, litem agere vel suscipere, longe aliud solutionem recipere. *Mæv. part. 5. decis. 294.* Nec ad nostrum Curatorem extrajudicialia pertinere negotia, supra traditum fuit. *add. Mæv. part. 4. decis. 344.* Brunnem. *ad d. l. 86. in f.* unde in dubio etiam Mandatum potius de exercenda lite, quam solutione accipienda intelligendum, si mandatarius lites agere solitus sit, sicut in terminis tradit, post *Mæv. part. 5. decis. 295.* Brunnem. *ad d. l. 86. num. 4.*

LII.

Removenda etiam ab Objecto nostri Curatoris negotia judicialia illa, in quibus stare in iudicio suprà dictis personis integrum est. Huc pertinent causæ crimina-

minales, juxta notoriam, in tota ferè Germania receptam consuetudinem, Sed verò *Iudex Criminalis* (verba sunt Dn. Brunnemann. ad d. l. 4.) *circumspectus esse debet in judicio criminali, in quo minorennis inquiritur. ne lubrico atatis erret, & quis tam inhumane esset Iudex, & crudelis, qui non malit parcere magis, minori presertim, quam ex confessione condemnare, cum aliàs Iudex semper defensionem inquisiti ex officio suscipere debeat. Add. supr. th. 40. & in fin. th. ult.*

LIII.

Illud nihil interest, an causa sit propria, an verò aliena. Alienam quidem litem suscipere Mulier etiam de J. C. prohibetur, ne negotiis alienis sese immiscendo Calurniæ improbissimæ foeminae notam sibi attrahat. l. 1. §. 5. *vers. Sexum. ff. de postuland.* licet indulgendum censuerint mulieribus, Legislatores, si causam propriam suo periculo, in foro tractandam & ventilandam, suscipere velint. l. 4. C. de Procurat. Nov. 134. cap. 9. in pr. Coler. part. 1. decis. 67. num. 13. Berlich. part. 2. concl. 17. num. 13. Sed Statutis multorum locorum, nec causas proprias in judicio his tractare permillum. De Jure Saxonico. vid. Carpzov. de Jur. foemin. sing. 9. d. posit. 2. num. 13. Coler. d. l. Württembergico, part. 1. Tit. 16. §. Andere Weibs Personen/ &c. Brandenburgico, Frider. Prukm. vol. 1. conf. 48. n. 194. Neque illud refert, an judicio agant, an se defendant, utroq; casu Curator requiritur. Carpz. de Jur. foemin. sing. d. posit. num. 20. & seqq. Württembergico, Landrecht. part. 1. Tit. 18. §. Wir wollen auch/ &c. ibi: Klagen oder antworten.

CAP. VI.

CAPUT VI.

DE CURATORIS AD LITEM
FORMALIRATIONE.

LIV.

Formalis ratio, sive differentia specifica, quatenus nempe Curator noster differat à Procuratore, Tutore, Curatore, similibusq; aliis, ex verbis definitionis colligitur; nempe, Curator noster, publicâ auctoritate constituitur his, qui legitimam standi in Judicio personam non habent, ut iisdem auctoritate & consilio assistat. Publicâ ergò auctoritate constituitur, quo ipsa differt à Procuratore, qui privatâ conventionem constituitur à domino; sed Curator noster non nisi publica auctoritate. *Mæv. part. 2. decis. 133. num. 2.* Foemina quidem cum Curatore potest in judicio constituere Procuratorem. *Jürstl. Würt. Landrecht. part. 1. Tit. 16. §. Andere Weibs Personen. vers. Welche beede. pag. 83.* sed Curatorem, solùm constituit Magistratus. Deinde Curator constituitur his, qui legitimam standi in judicio personam non habent. Procurator constituitur absenti. Quanquam verò ad litem nonnunquam Procurator constitui soleat: uti in *Cam.* aliud tamen est Curator ad litem, aliud Procurator ad litem, quod animadvertit. *Anton. Fab. lib. 5. Tit. 20. num. 7.* Differt (2.) ab Actore. Actorem constituit Tutor absente, vel ignorante pupillo *§. ult. Inst. de curat. decreto tamen prætoris. l. 24. C. de administr. & peric Tutor.* Curatorem non nisi Magistratus.

LV. Dif.

LV.

Differt (3.) à Tutore & Curatore Tutor constituitur principaliter personæ, *l. 14. ff. de test. tut.* per consequentiam rebus, ita ut deductis rebus Tutor dari non possit. *l. 12. ff. de testament. tutel.* nec certæ rei vel causæ tutor constituitur *d. l. 12.* nisi utilitatis ratione *l. 15. ff. d. t.* sed curator constituitur certæ rei vel causæ regulariter. Item Tutor constituitur pupillo: Curator illis, qui legitimam standi in iudicio personam non habent. Tutor invitus constituitur de iure civil. Curator in litem non invitus regulariter, Tutores & Curatores administrant negotia tam judicialia quam extrajudicialia: Curator ad litem sine bonorum administratione constituitur. Alias Differentias tradunt Dd. passim. Besold. *volum. 4. conf. 149.* uti antecedentes & consequentes paginae ostendunt. Add. omn. Besold. *Thesaur. Practic. voc. Kriegischer Vormund. part. 822. & seq.* Denique differt Curator Litis causa datus, à Curatoribus foeminarum, qui etiam in lata significatione dicuntur Curatores foeminarum, *Kriegische Vormunde/ Vogt/* sed ad causas tantum extrajudiciales constituti. vid. *Jürstl. Würtemb. Landr. part. 2. Tit. 29. §. ult. in fin.* Carpzov. *Jurisprud. Forens. part. 2. const. 15. & in tract. de Iurib. foeminar. de ead. 3. posit. 1. & seqq.*

CAPUT VII.

DE CURATORIS AD LITEM
OFFICIO ET POTESTATE.

LVI.

HActenus de Curatore ad Litem constituendo. Pro-
ximum

ximum nunc est, ut etiam de constituto dispiciamus. Duo autem hinc consideranda veniunt; quorum primum, quomodo Curator ad litem curam sibi commissam recte exerceat; secundum, quibus modis Curator esse desinat. De illo in hoc: de altero in sequenti agendum capite. Exercitium constat duabus partibus, Officio nempe & Potestate. In Tutoribus quidem & Curatoribus personarum, quibus simul potestas bona administrandi concessa est, quatuor praeferre oportet, ut tutor vel curator sese negotiis pupillorum, minorum, vel similibus, recte immiscere possit; quae, an etiam in Curatoribus ad Litem, locum inveniunt, primo excutiendum loco.

LVI.

Tutores quidem regulariter i. nihil attingere possunt, nisi ipsis prius decreta sit bonorum administratio. O. I. P. de A. 1548. & 1577. tit. von Pupillen und Minderjährigen/2c. In Curatoribus ad litem hoc decretum necessarium non videtur; respicit enim bonorum administrationem, qualis Curatoribus ad litem competit nulla. Quod si tamen iudicio, cum minore, vel foemina, interesse velint, personam suam per exhibitionem Curatorij ad litem, legitimare debent, idque ad exemplum Procuratorum, Actorum &c. ut nempe constet de eorundem adjunctione, ac constitutione legitime facta. Fürstl. Würt. Landrecht. part. 1. Tit. 16. § Und wo Minderjährige/2c. Sed hoc intelligendum de Curatore ad litem generali. Specialis enim quando constituitur ab eo Judice, coram quo causa sive lis agitur, curatorio non indiget. Curatorium namque requiritur, ut certo constet esse curatorem, & curator quoque se esse talem, probare debet. Carpzov. lib. 3. Respons. 14.

Christin. vol. 2. d. 158. num. 8. certus autem, certiorari non debet. l. 1. §. f. ff. de A. E. V. Et hanc sententiam defendunt, Gail. 2. obs. 107. sub num. 5. Græv. lib. 2. obs. 107. num. 12. Gylman. Symphor. lib. 3. Tit. de Curat. Vultej. Ipr. Roman. lib. 2. num. 115. hocque casu constitutionem ad Acta registrari satis est. Berlich. p. 1. conclus. 16. num. 13.

LVIII.

2. Inventarium conficere tenentur omnes tutores & curatores, ante cujus confectioem, nihil, quod moram admittit, gerere possunt. l. 7. ff. de administ. tut. l. 24. C. eod. Ord. Imp. Publ. d. Tit. Sed, ab Inventarii confectioem Curatorem ad litem eximunt Dd. communiter. Gail. 2. observ. 107. num. 6. Christoph. Philip. Richter. part. 1. decis. 58. num. 25. Mæv. ad Ius Lubecens. part. 2. Tit. 6. art. 11. num. 4. Mart. Dig. Nov. lib. 5. Tit. Curator cap. 15. Mæv. p. 4. decis. 344. num. 1. Barbof. ad l. 2. C. in lit. dand. tutor. (3.) Cautioem, rem pupilli salvam fore, præstant Tutores & Curatores. t. t. Instit. de satisdat. Ord. Imp. Polit. d. Anno 1577. Tit. 32. §. daß ein jeglicher re. & quidem sub hypotheca omnium bonorum l. 20. C. de adm. tut. sed à nostro Curatore ad litem, satisdatio desideratur nulla; cum nullam, uti supra dictum, administrationem bonorum in se recipiant Besold Thesaur. Pract. voc. Kriegischer Vormund. Mart. Digest. Nov. d. l. Tit. Curator cap. 19. vid. tamen Gail. lib. 2. Observ. 107. in fin. ibi: debet tamen satisdare. Unde nec Curatoris ad litem bona minori & similibus tacite sunt obligata, uti perperam existimant. Montan. de Iur. Tut. cap. 31. effect. 2. num. 14. Merlin. de pign. lib. 3. quest. 2. n. 12. Berlich. part. 1. concl. 67. num. 14. Tacita enim hypotheca, sine speciali legis concessione nemini

859.

mini competit, quæ hic deficit. *Besold. Th. Pract. d. l. Moller. lib. 2. Semestr. cap. 3. lib. 4. cap. 41. Bachov. de pignor. cap. 9. num. 4. Dn. Lauterb. tract. Synopt. de Legal. hyp. thes. 39.*

LIX.

Denique jurare debent Tutores & Curatores, se facturos ea, quæ sunt utilia pupillo, & omiffuros inutilia *Nov. 72. c. ult. Ord. Imp. Polit. de Anno 1548. & 1577. Tit. 23. §. daß er nach befohlener ic. Sanè Ord. Cam. part. 1. Tit. 75. juramentum exigit etiam à Curatoribus ad litem. Gail. 2. Obs. 108. in fin. Moribus nostris, corporalis juramenti præstatio nec à Tutoribus, nec curatoribus qui bona administrant ubique exigitur: Sed in multis locis repromissio loco juramenti recipitur: Handgelübdt / oder Handtrew an Nydsstatt / oder bey ihrem der Obrigkeit geleisteten Nyd Carpz. Ipr For. part. 2. const. 11. def 6. n. 4. Mæv. ad Jus Lub. lib. 1. Tit. 7. art. 2. n. 45. Joh. à Sande. lib. 2. Tit. 9. dict. 9. Add. §. W. Land. Ord. p. 77. (Aliter in hac nostra universitate, ubi Tutores ac Curatores corporale præstant juramentum Statut. Univers. cap. 17. §. 2.) Unde multis in locis sufficit tactus baculi Judicialis, das Angeloben an Gerichtsstab; quemadmodum non aliam juramenti præstitionem à Procuratoribus exigit. Ordin. Dicast. Würt. part. 1. Titul. 9. Rubr. den Anwalt Verspruch pag. 34. nec ergò aliam, à Curatore ad Litem exigi promissionem, Praxis hujus Ducatus testatur.*

LX.

His perspectis, videamus officium Curatoris ad litem quid sit, & in quo potissimum consistat. Vide licet, ut sæpius dictum, non in administratione bonorum, *Mæv. part. 4. decis. 344. num. 1. vid. tamen eund.*

F 2

part. 7.

part. 7. decis. 15. Sed ejus præcipua cura est circa litem, quæ in judicio versatur; unde etiam curator litis dictus, quod nempe ejus sit litem curare, v. c. lites, eorum qui in judicio non habent legitimam personam standi agere, exercere. *Mæv. part. 4. decis. 344. num. 3.* quæque ad Processum Judicarium pertinent, observare. Unde hac ratione nonnunquam Advocati partes sustinet *Carpzov. Ipr. For. part. 2. constit. 15. def. 1. num. 1.* nonnunquam Procuratoris, cui etiam æquiparatur, ita ut inter hos parum interesse dicant. *Mæv. part. 4. decis. 344. num. 5.* & *Dd. supra laudati.* Nimirum, ubi is, qui in judicio sine Curatore consistere non potest, præsens est in judicio, Advocati potius, quàm Procuratoris: ubi autem absens est, Procuratoris magis, quàm Advocati partes agere dicitur, sicque adeò vel majorem, vel minorem habet circa Lites, potestatem.

LXI.

Fœmina namque, quæ Curatorem ad litem habet, postquam, & ipsa, in judicio comparere si velit, potest. *Carpzov. de jure singul. fœminar. decad. 9. posit. 5.* & nonnunquam tenetur, uti exemplis ostendit idem *Carpz. d. l.* tunc Curatoris potissimum officium, juxta *Besold. Thesaur. Pract. voc. Kriegischer Vormund* / in eo consistit, ut litiganti fœminæ auctoritate & consilio adsistat consensum negatiis judicialibus, adhibeat, *daßer seiner Curandin in angeregter sache / seinem besten Verstand nach / mit Buziehung etwa eines verständigen Advocati einrähtig und beyständig seyn.* Unde etiam dicitur *mulieris Einrähter und Beystand.* *Besold. d. l. pag. 824.* Nec ulterius ipse obligatur, quam ut fideliter illi consulat, *und nach seinem Verstand.* *Christ. Besold. d. l. Moller. libr. 4. semestr. cap. 41.* & alii ibidem laudati *Mæv.*

Mæv. part. 7. decis. 15. num. 1. tametsi consilio non respondeat eventus, vel etiam non optimè consulat, nihil tamen est, quod illi imputari possit. arg. l. 47. de R. I. Besold. Moller. d. l. Nisi alia, quæ non sunt ejus officij, fecerit; quod in dubio non præsumitur, sed acta semper ita capiuntur in judicio, ut officio ejus congruant. vid. Mæv. part. 7. decis. 15. num. 6.

LXII.

Quando in judicio non comparet foemina, sed ejus nomine Curator, tunc vel Curatorem habet Maritum, vel alium. Priori casu, admittendus est quidem maritus, tanquam præsumptus uxoris Procurator, sed non aliter, quàm præstita prius de rato cautione, uti thes. . . dictum. Posteriori casu, Curator, per exhibitionem Curatorij personam suam legitimare debet. Mæv. part. 2. decis. 126. 133. num. 2. Carpzov. lib. 3. Respons. 14. atque, non tantum ad partis instantiam, sed etiam ex officio Judex illud exigere solet. Mæv. part. 2. decis. 126. num. 4. Ubi eo spreto, sub tali nomine, sine exhibitione Curatorij quisquam litem porrò exegerit, non tantum æquum est eum puniri, sed & justa causa est, ut adversario solvat, quod interfuit, maturius personam legitimari, litis nempe ineptæ impensas. ubi nondum de interesse partis adversæ constat, mulctam solùm; facta simul admonitione, ut quam primum personam suam legitimet. Mæv. part. 2. decis. 126. Curatorium, à muliere, vel minore subscriptum sit, necessarium non est. Carpzov. de jur. foemin. singul. decad. 9. posit. 9. num. 5. nec alio, Curatori, vel à muliere, vel minore opus est mandato. Carpz. d. l.

LXIII.

Quid verò dicendum, si Curator præpeditus,

F 3

alium

alium substituere, necesse habeat? Quamvis alias Tu-
tores & Curatores, nec non Procurator in rem alie-
nam, non nisi post L.C. substituere alium possint Procu-
ratorem. *l. 11. C. d. procurat.* Mynsing. *Observ.* 43. Fürstl.
Württemberg. Landrecht *part. 1. Tit. 16. §. wer dann eis-
nen gewalt.* Et Tutores aut Curatores Actorem, cum
decreto tamen Prætoris. *l. 24. C. d. administr. tut.* pos-
sunt tamen hodie Tutores & Curatores personarum,
etiam ante L.C. alium substituere; sublato scilicet, in-
ter Actores & Curatores hodie discrimine. Fürstlich.
Württemberg. Landrecht. *part. 1. Tit. 16. §. und wa min-
derjährige ic.* Carpzov. *lib. 3. Resp. 14.* Unde conclu-
dunt, quod Curator ad litem semel ritè ac legitimè
constitutus, alium substituere possit. Carpz. *tr. de Ju-
rib. foemin. decad. 9 posit. 3. Mæv. part. 5. decis. 295. num. 5.*
etiamsi foemina non subscripserit. Carpz. *d. l.*

LXIV.

Quod si foemina habens Curatorem legitimum,
nec ipsa in iudicio, nec Maritus ejus nomine compa-
rere velit, constituendus est non Litis Curator, sed
Procurator, & quidem cum Curatoris mariti consensu.
Unde nec sola foemina sine curatore suo, nec solus
curator sine foemina, procuratorem dare possunt,
sed necesse est, ut utriusque concurrat consensus. Qui
enim sine Curatoris interventu in iudicio lites suas
peragere nequit, ille sine Curatore, nec procuratoris
constituendi potestatem habet. *arg. l. 20. pr. ff. d. A. R.*
D. Fürstl. Württemberg. Landrecht. part. 1. Titul. 16. §.
Andere Weibs-Personen Beatus. Dn. Lauterbach. *in*
Diff. Jur. Prov. Vürt. part. 1. disp. 1. thes. 30. num. 5. Be-
sold. *Thesaur. Pract. voc. Kriegs Vormund.* Carpzov.
Prud. For. part. 2. const. 15. def. fin. quo ipso hi Mulierum
Cura-

Curatores, ab aliis Minorum Curatoribus, differunt. Dn. Lauterb. Besold. *dd. ll.* Divortium ab hâc sententia facit Mæv. *part. 5. decis. 295.* ubi dicit observantiam fori hodie habere, ut constitutio procuratoris à Curatore litis facta, perinde habeatur, ac si à domino litis facta esset.

LXV.

Curator, sic legitimè constitutus, comparet non modo in iudicio nomine ejus, qui ipse sine Curatore in iudicio interesse non potest, sed & in progressu tractat, & quæcunque ad Lites decernuntur, diriguntur ad eum, ideo & ipsi decretorum fit insinuatio, Mæv. *part. 4. decis. 344. num. 5.* Non secus, ac in Procuratoris persona, id fieri videmus Mynsing. *cent. 1. Observ. 9.* nec potest desiderare, us ad eos, quorum curam gerit, deferantur; Scilicet, ipse sustinet & supplet vices ejus, cui additur, & si quid sit, de quo cum persona ista communicandum, ipsemet referre, nec ea de causa, litem protelare debet. Mæv. *d. l. num. 6.* Unde & ipse litis fit dominus, Mæv. *part. 5. decis. 295.* instrumenta recognoscit Carpzov. *Iprud. Forens. part. 1. const. 16. d. 18. numer. 6.* nec excusatur à præstando, aut contumacia ob omissum, quod erat ei injunctum. Mæv. *part. 4. decis. 344.* sed de neglectis tenetur. Mæv. *part. 7. d. 15.*

LXVI.

Est vero quoad ipsam litis administrationem, & Curam, inter curatores Mulierum, & aliarum personarum, discrimen haut leve. Tutores namque & Curatores minorum, prodigorum, furiosorum & similibus, facultatem habent transigendi. *l. 56. §. 4. l. 54. §. f. ff. de furt. compromittendi. arg. l. 17. §. 2. l. 35. princ. ff. d.*

ff. d. jurejur. ita tamen, ut si fortè de re immobili, vel quæ eidem comparatur, transactio, vel compromissum fiat, decretum Prætoris requiratur. *Scacc. de Judic. lib. 2. cap. 2. num. 346.* Klock. *Relat. Cam.* 138. juramentum item deferendi. *d. l. 17. §. 2. l. 35. pr. ff. de injur. referendi. d. l. 17. §. 2.* Carpzov. *Iprud. Forens. part. 1. const. 14. def. 12.* vid. Dn. Lauterb. p. m. *dissert. de Relat. Jurisjur. th. 14.* De Mulierum autem Curatoribus, non idem dicendum, Unde juramentum Curator mulieris, nec deferre solus potest sine speciali mandato, nec juramentum eidem delatum præstare, Carpzov. *tr. de jur. foemin. decad. 9. posit. 3. num. 21.* nec juramentum referre. *Setfer. d. juram. lib. 4. cap. 2. num. 34.* Carpzov. *Iprud. For. part. 2. const. 15. def. ult.* Dn. Lauterb. *d. l. thes. 14.* Nec compromittere possunt de rebus Mulierum, sed si foemina ratum non velit habere, vel ad pœnam compromisso insertam, vel ad interesse tenentur. *arg. c. 9. extr. de arbitr.* nec transigere; argum. eorum, quæ tradit Mæv. *part. 8. decis. 3. num. 3. 4.*

LXVII.

Mariti tamen transactionem in causa uxoris, etiam absente uxore factam, valere, eaque teneri uxorem, in terminis tradit. Mæv. *part. 4. decis. 32.* Sed an hæc opinio omnibus in locis sit recepta, non sine ratione dubitare licet: Quamvis enim maritus legitimus sit hodie Curator uxoris, ea tamen ignorante vel absente, in his, quæ ad administrationem bonorum pertinent, agere potest nihil: Berlich. *part. 2. concl. 18. num. 14.* Carpz. *Ipr. Forens. part. 2. const. 15. def. 31.* Illud constat, si mulier transigat sine Curatore, non posse ejusdem dissentium efficere, ut mulieris transactio non sit rata ac valida, nec aliud à Curatore exigere, quàm si injustam ac
inva-

invalidam dicit transactionem, propterea non servandam, causas sui dissensus alleget. *Mæv. part. 5. decis.* Si tamen eo non obstante, uxor stare velit transactioni, valet in sui præjudicium.

LXVIII.

Cùm itaque ad litem tantùm curandam detur, unde ulterius sequitur, quod alia, quæ ad litem non pertinent, gerere non possit. *Barbos. ad Tit. C. de in lit. dand. tut.* unde nec ei solvi potest. *Mæv. part. 5. decis. 294.* Nec, si quid à tutoribus malè gestum, ex eo fit obnoxius, quam diu terminos observat officij. *Mæv. part. 7. decis. 15. num. 2.* nisi ipse administrationi sese immisceat, & quæ non sunt sui officij, sed tutoris gessit, *Mæv. d. l. num. 3.* Quod tamen ex eo solo, quod rationes administrationis ipsius manuscriptæ, apud eum reperiuntur, non præsumendum, sed potius tum tutoribus, auxiliares manus præbuisse censetur; cùm non sit insolitum, liti Curatorem manum præbere Tutoribus, quibus velut à consilio & ministerio hodie sunt, sed tutorum periculo, uti scribit *Mæv. d. l.* ut proinde fortior semper sit præsumtio, quod officij limites non excesserit, nec sese obligaverit. Circa litem quoque non aliter versari debet, quàm moderatè, & quasi res proprias curaret. *Barbos. ad l. 4. C. de in lit. dand.* Unde sumptus quidem in litem factos bonafide repetit; *Barbos. d. l.* sed moderatos.

C A P U T V I I I .
D E C O N T R A R I I S .

LXIX.

SUPEREST, ut paucis etiam, quibus modis officium Curatoris

G

ratoris

ratoris ad Litem finiatur, exponamus. Certum autem est ex persona tam Curatoris, quàm ejus, qui iudicio sine Curatore interesse nequit, officium ejus finiri **Morte** tam naturali, quàm civili. De naturali res sanè constat, cùm hæc cura non secus ac aliæ curæ, excepta cura bonorum absentis, de qua vid. Dn. Præses *in disp. de Curat. bonor. absent.* sit munus personale, nec ad hæredes transeat. l. 16. §. 1. ff. de tutel. De morte civili, idem dicendum. arg. §. 4. *Instit. quib. mod. tut. fin.* Unde Curator hodie proscriptus ab Imp. vel Camera Imp. officium suum amittit. Hermann. Stamm. *de Servit. personal. lib. 2. cap. 3. num. 8.* Carpzov. *Proc. Crim. quest. 140. n. 26.*

LXX.

Deinde finitur officium Curatoris ad litem, **Lite**, ad quam ipse constitutus est, finita. Dist. tamen adhibita; an quis generaliter ad omnes lites sit constitutus, an verò ad certam tantum causam sive Litem. Priori casu lite, una finita, officium non expirat. posteriori casu secus. Christoph. Besold. *Thesaur. Pract. voc. Kriegischer Vormund. Max. ad Jus Lubec. libr. 1. Tit. 7. art. 11. num. 1.* Nam curator constitutus ad certum actum, eo finito, talis esse desinit. Card. Mantic. *decis. 109. num. 11.* adeò, ut finitâ lite, ipse, ne quidem sententiæ executionem, juxta quorundam sententiam, petere possit. Munnoz de Escobar. *de Ratiocin. administ. cap. 28. num. 14. in fin.* Illud tamen certum est, quod in eum non sit, sententiâ latâ, executio facienda. Max. *part. 1. decis. 226. num. 1.* Finitur item, quando causa ob quam constitutus cessat, v. c. si minor durante lite major 25. annis: furiosus, aut prodigus, sanæ mentis esse

esse ceperint, reverso item Patre, ob cujus absentiam filio ad litem interim dabatur Curator. *Mæv. part. 4. decis. 96.* Fœminæ innuptæ Curator datus, post nuptias contractas, talis esse desinit, in curam maritalem tum transeunte fœminâ; modò maritus sit major 25. annis, vid. *Fürstl. Württemberg. Hoffger. Ordn. part. 1. Tit. 8. §. 14. vers. Desgleichen/2c. ibi: Dafern er major-ennis.*

LXXI.

Officio etiam Magistratus sive Judicis, finitur Curatoris nostri ad Litem officium, & quidem invito Curatore, per remotionem, quando non ex fide Curatellam gerit, & commodum ac emolumentum potius suum, quam curandi quærit: vel volente eo, quando ob justam & legitimam causam, sese ab hoc onere liberari petit. Sicut enim invito hæc cura regulariter non defertur, ita nec invitus Curator in hoc officio detinetur; si præprimis justam habeat ac sufficientem excusationis causam. Unde de Curatoribus fœminarum tradit Moller. *lib. 4. semestr. cap. 24. num. 7.* se, quamdiu in Aula Saxonica fuerit, non meminisse, ubi Curator confirmatus ex quibuscunque causis sese excusaverit, invitum in officio fuisse retentum. Sanè, si cum Curatore sit lis contestata, persuasum habemus, ejusmodi Curatorem sine justa causa removeri non posse, quò etiam ex Gratian. *discept. forens. cap. 125. numer. 55.* inclinât Barbos. *ad l. fin. §. sed si quis. 1. C. de administr. tut. num. 11.* Unde, quod ipse tradit. *ad l. 11. C. qui dar. tut. num. 6.* Curatorem quandocunque revocari posse, à veritate alienum videtur.

LXXII.

Ad contraria pertinent etiam illa negotia, in quibus, qui judiciis aliàs sine Curatore interesse non possunt, personam habent legitimam standi in iudicio. vid. supra, quæ de minore sunt dicta *thes.* . . . Quod ad foeminas quoque pertinere putandum. Nam & hæ legitimam habent personam standi in iudicio, non solum in causis criminalibus, sed etiam matrimonialibus, per ea, quæ tradit Carpzov. *tract. singul. de iur. faminar. decad. 9. posit. 5. num. 21.* ubi plures alias tradit regulæ Exceptiones, v. c. quod testamentum à muliere sola sine Curatore iudici offerri possit, quæ de regula non sunt. Hæc pro temporis, & instituti ratione, sufficiant.

DEO TER OPT. MAX. SIT
LAUS, HONOR & GLORIA!



BO.



BONA VERBA, FAUSTIQUE VIALES.

NOBILEM & CLARISSIMUM

DN. JOHANNEM HILLERUM,

Juris Utriusque Cultorem,

Avitarum, ut Nominis; Sic Virtutum Hæredem
Legitimum,

Cum Ipse

ubi prius inter AMICABILES publicè conferentium

LITES. de

CURATORE AD LITEM

Masculè dixisset,

Visendis aliorum populorum Moribus se compararet.

uno Gratantium

Patronorum, Fautorum, Amicorumque

Ore & Pectore

Comitantes.

I.

HILLERE AD LITEM dum Curator Tua cura est:
Litigium doctum hæc lemmata docta movent.

Causa peroretur melior Tibi & undique; vivi

Nec sine lite solet, nec sine lege potest.

Benevoli affectus gr. scr.

BALTHASAR RAITH, D. h. t. R.

G 3

II. IN

I I.

IN DISPUTATIONEM CLARISSIMI
DN. RESPONDENTIS DE CURATORE AD
LITEM.

Sic detestatur lites, HILLERE, subortas (a)
Vir bonus, in cuius pectore pax residet;
Qui ergò bono LITIS, tollenda pacis amore,
PROCURATORI convenit esse bono?
Quid responderes, (nec enim tu talia curas)
Si stanti in cathedra taliter objicerem?

(a) Ayres. in Process. Juris. l. 1. c. 2. obs. III. n. 18. Viri boni lites detestantur. In qua verba subdit: Non immeritò commendantur in Jure, qui lites in tantum execrantur, ut malint jus suum indiscussum relinquere, quàm in judicio contendere, c. nihil. c. ubi Pan. & Fel. in princ. de præscript. Jason. in l. filio pater. 87. n. 3. ff. de leg. 1. Wesenb. Conf. 23. n. 39. l. 1.

TOBIAS WAGNER, D. Cancellarius.

I I I.

AD LITEM CURATOR ades, LITIque ministras
Materiam: LITES Tu sine LITE seca.

B. e. a.

JOHANN-ADAM OSIANDER, D.

IV.

NOBILISSIMO
DN. RESPONDENTI
DE CURATORE AD LITEM

Publicè Disputanti gratulari voluit

PRÆSES.

Cur non hic propriis Curator sufficit armis &
Subsidiisque tuis litigiosus agit?
Scilicet in cathedra valet hæc Exceptio juris,
Hinc palmam curas illius, ille Tuam!

V.

Quam bene Curator commissæ munia Litis
Præstet, & in Streperi plaudat agone fori,

Dispu-

Disputat HILLERUS; cui dudum *Gloria* frontem
Ambit, & ingenij præmia curat *Honor*.

Cur operam frustratur *Honor*? Non curat *honorem*,
Ipse domi *Curam* hanc *Litis* honorus habens.

CHRISTOPHORUS CALDENBACH.

V I.

AD NOBILISSIMUM
DOMINUM RESPONDENTEM

Magna *Tua* STIRPIS non vis modo GLORIA DICI,
(*Gloria nam vana hæc,*) Sed magis ESSE cupis.
Id probat Egregium Specimen. Sic pergit! Magnum
Et STIRPI & PATRIÆ denique LUMEN eris.

Debiti Honoris
Bonique Ominis ergo deproperab.
TOBIAS MEURER.

VII.

Greißt Dein Hoher Geist sich von der Erden-Kercker
und folg't auf einer Bahn dem werthen Brud nach.
Wer wahrer Tugend hold/der scheut kein Ungemach/
und tringt durch Dorn und Spiz' hin zu den Sternē-Ercker.
Drumb geh/ GeEhrtster/ und trag die Sieges-Fahnen
in diesem Kampff darvon: Gott segne Deine Reiß
daß nach der Ruckkunfft man von Dir sag gleicher
weiß: [Ahnen.

Du seyst ein rechter Zweig vom Stamm der tapfern
Dieses solte dem Tit. &c. Herrn Respondenten
zu schuldiger Ehr/ und steten Angedencken
Seiner beysetzen

TOBIAS CRAMER, LL. Cult.

VIII.

CURATORIS habes ad LITEM, CANDIDE, curas,
Quem tenet à longo tempore CURA mei.
Quem constans AMOR atque fides testatur Amicum
Et & puerum & juvenem: Quem dabit ipsa VIRUM?
Perge tuas porro nobis addicere curas:
Spondeo: CURATOR dexter & æquus eris;

Omi:

Ominor haud leviter: grandes Respublica CURAS
Utiliter manibus conferet alma Tuis.

*Hisce Amicorum suorum Optimo, & in studio-
rum cursu fidissimo Achatu applaudit.*

M. JOHANNES OSIANDER, Tub. S. S. Th. St.

IX.

Sic ne igitur qua nostra fides arctissima iunxit
Corpora sunt abitu dissolvenda Tuo!
Ne tamen infaustos habeas abituere Viales,
Accipe de manibus millia vota meis;
His semper tanquam comitantibus utere Amicis,
Hæcque eadem comites instar Achatu habe;
Fama Tua referat crescentia premia laudis,
Et referat paribus condecorata Typis
Interea quocunque loco TE fata locabunt,
Nominis exigui Tu memor esto mei,
Ipse ego dum tenuis vita spiramina duco,
Dumque regit rostras Spiritus ille manus,
Indivisa animi tam chari fibra manebo,
Sint licet avulsis corpora nostra locis
Ipse etiam donec patriis includar agellis,
Mæstus ero, donec reddar & ipse Tibi.

BURCKHARDUS BARDILI, LL. Stud.

X.

CESPES

Ara Valedictoria.

Pergis iter? Quam dura loquor! Cur, suavis Amice,
Mens mea profusis temperet à lachrymis?
Pergis iter? Cur non pergam protendere suspi-
Spiria, vel rauco gutture mota meo?
Pergis iter? Sed ego pergam clamare Boazi
Messorum verbis, quæ cecinere, TIBI:
Omnibus ex oris BENEDICAT MAGNUS JOVA,
Ut capiant fruges horrea læta tuas!
Ergò aveas lachrymis comitate DEoque Juvante!
Ergò VALL, ergò brevi dic mihi salvus AVE!


Ruth. 2. v. 4.

quem lenta tenique manu agcessit

M. DANIEL EFFERHEN, SS. Th. Stud.

F I N I S.





ULB Halle
005 826 764


3



10/17







Q. D. B. V.

837 ~~9~~ 3

URATOR AD LITEM,

Vulgò

Kriegs Bogt

1678, 26

3

PERMISSU

*implissima, in Academia Tubingensi, Facul-
tatis Juridica,*

PRÆSIDE

BURCKHARDO BARDILI,
Jcto. & Pand. Prof. Consil. Würt.
& Supremi Dycasterij Assessor.

DELINEATUS

Et in

AUDITORIO JURISCONSULTORUM

Ad Diem Octobris,

Publico Examine Exhibitus

*ohne
Widmung*

JOHANN HILLERO, STUTTGARDIANO.

TUBINGÆ,

Typis JOACHIMI HEINLI,

ANNO M. DC. LXXVIII.

7.

